Adami Loniceri Medici
Fr. De

PVRGATIO-
NIBVS
LIBRI III.

Ex Hippocrate, Galeno, Aetio & Meſue depromti, cum indice ſingulorũ capitum præfixo.

Foras dati

Per Teuc. ANNÆVM PRIVATVM
C. Adami Loniceri Medici filium,
POETAM.



FRANCOFVRTI

Ex Officina Paltheniana Sumtibus Heredum Petri Fiſcheri.

Anno M. D. XCVI.

Filiolis ſuis dilectis,

ANNÆO NATV MAIORI, CHIRVRGIÆ DISCIPVLO, CAROLO, PIETATIS ALVMNO, SIGISMVNDO, artium liberalium in illuſtri Duc. Brunſ. Academia Iulia ſtudioſo, ANNÆO natu minori, religionis, literarum & ingenuitatis catechumeno atque beneficiario Reuerendi & ampliſſ. V. Dn IOANNIS LATOMI, Francofordi ad D. Barptolomæum DECANI emeriti, & S. Cæſ. Maieſt Officialis, bis ſuſceptoris ſui, parẽtis loco venerandi, Francofordẽſibus ad Mœnum, Fratribus germanis, Adami Loniceri Medici nepotibus.

Salutem & paternam dilectionem dicit.

Teuc. ANNÆVS PRIVATVS C. Adami Loniceri Medici filius, POETA & Ciuis in patria ſua apud Francofordienſes Imperiales.

INſtrumenta, Filii mei dilecti, quibus peruenitur ad veritatis inueſtigationem in abſtruſis rebus, ſeptem ſunt, teſtante Galeno in libro de conſtit. art. Med.

I.	*Natura perſpicax*
II.	*Inſtitutio optima*
III.	*Præceptores ingenui.*
IV.	*Labor Improbus*

V. Veritatis ardentiſsimus amor.
VI. Optima Methodus.
VII. Exercitatio aſsidua.

In hiſce ſtudiorum noſtrorum vigor, & gloriæ noſtræ verſatur immortalitas: Quæ ſi non omnia pariter aſſequimur, præcipua ſaltem ex iis nobis familiaria ſint, in quibus Genium noſtrum ingeniumque exercitemus ſedulo. De cæteris quidem vos, pro captu indolis cuiuſq; veſtrum aliquando ſtatuitis. Nunc de tertio, de Præceptoribus & Parentibus ingenuis pauca ad vos monebo. At nec in illo ipſo vobis fortuna inuidet, nuſquam deſunt Præceptores ingenui, de Parentibus qua decet modeſtia & pietate ſentire debetis. Ecquid enim Proauum veſtrum paternum IOANNEM LONICERVM hominem literis & Philoſophiæ quondam natum, triumq; linguarum peritiſſimum, annos plus minus quadraginta continuos Marpurgi Cattorum publice profitentē? Ecquid paternum Auum veſtrum, patrem nimirum dum viueret meum cariſsimum ADAMVM LONICERVM Medicum apud hanc Francfordienſium Remp. patriam noſtram, ad annos triginta Ordinarium, qui, ob morum integritatem, vitæque innocentiā

atque adeo excellentem rei Medicæ peritiam doctis & bonis omnibus erat commendatiſſimus, ecquid inquam eos vobis commemorem? exſtant, vtriuſq; monumenta publica ſatis luculenta, doctis paſſim probata & deſiderata, vos ea ipſi per vos inquirite, cognoſcite, amplectimini cum ætas feret.

Haud alio equidem conſilio nunc quoque hoſce Tres de PVRGATIONIBVS Libros eiuſdem Aui veſtri, de quo modo ſermo erat, ADAMI LONICERI Medici publice conſecratos eſſe volo, vt vos eos ſacros haberetis: hoc ſi erit calcar addere ſtudiis veſtris, iam me paterni deſiderii neutiquam pœnitebit. Nolo enim putetis oſtentationis ergo hæc fieri, quin imo ſi indignos nos hiſce præſtabimus, dedecus & infamiam, minime laudē reportaturi ſumus: vnde nec eſt quod hinc intumeſcere libeat, quin verius Doctiſſ. noſter Goclenius in hæc verba canit.

Illuſtrem gentē ſatis hic habet atq; parentem,
Qui virtute ſuam nobilitat Patriam.

Hoc meditemur, hoc inſtemus iugiter: hoc erit Parentes, hoc Præceptores profiteri ingenuos.

At vos Filioli mei munuſculum hoc auitū

a me Patre veſtro vobis oblatum, ea pietate & modeſtia, qua indolem, qua ſpem de vobis cõceptam par eſt, accipitote, exoſculaminor.

Dulces exuuias, dum fata Deuſq́; ſinebãt.

Quid enim ego vobis dignius, quid honorificum magis offerre poſſem? Quid vos a me exſpectaretis carius? quid præclarius? meminiſtis, vt opinor quod dicitur:

Artibus ingenuis & moribus indue natos
Non maiora potes, nec meliora dare.

Valete recte, & ſi me amatis, Patronos veſtros, veſtros Præceptores, veſtros altores amate, veneramini, mecumque qua cœpiſtis, ad Muſarũ, virtutis Pietatiſq́; viridaria & ſacraria contendite alacriter & impigre.

Datæ Francfordii ad Mœnum, in vrbe Imperii & Patria noſtra, Anno MDXCVI. XXIX. Menſis Maii, ſtylo Gregoriano, quo die annis decem ante auctor hic Medicus & auus pia memoria digniſsimus inter ægrotos eſſe deſiit, anno Aetatis ſuæ quinquageſimo ferme octauo.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM SINGV-
LORVM TRIVM LIBRO-
rum de purgationi-
bus

Index capitum Lib. I. de purgati
onibus.

I.

Qua ratione Medicamentum purgans, humorum eductionem moliatur.

II.

Cur frequentius materia deiectione per inferna expurgetur, quam vomitu ſurſum, & de differentiis deiectoriorũ medicamentorum

III.

Quibus medicamenta purgantia ſint exhibenda, quibus non.

IV.

In quibus morbis, purgare oporteat, ex Aetio lib. 3.

V.

Qui ad purgationes ſint apti.

VI.

Qui ad purgationes ſint inepti.

VII.
Qui humores ſint purgandi.
VIII.
Quid faciendum ante purgationem.
IX.
De præparatione humorum ad purgationem.
X.
Qua parte corporis purgationem moliri oporteat, ex Galeni libro quos oporteat purgari.
XI.
Quæ ſint in purgationibus conſideranda.
XII.
Quæ in medicamento purgante ſimplici deligendo ſint conſideranda.
XIII.
De purgantium ſimplicium medicamentorum correctione.
XIV.
De primo correctionis modo, videlicet, cōmixtione.
XV.
Secundus modus correctionis medicamentorum ſimplicium purgantiū videlicet coctio
XVI.
Tertius modus corrrectionis medicamen-

torum ſimplicium purgantiū videlicet, Lotio.

XVII.

Quartus modus correctionis medicamentorum ſimplicium purgantium videlicet, Infuſio.

XVIII

Quintus & vltimus modus correctionis medicamentorum ſimplicium purgantium, videlicet, Tritura.

XIX.

De medicamentorum ſimplicium purgantium vſu, correctione, & doſi.

XX.

De ſimplicibus purgantibus clemētioribus

XXI.

De ſimplicibus purgātibus valentioribus

INDEX CAPITVM LIB. II. de purgationibus.

I.

Methodus componendi medicamenta purgantia.

II.

Quæ in vniuſcuiuſq; medicamenti prororogantis compoſitione, veniant conſiderāda.

III.

Ad quid conducat commiſcere purgantia medicamenta.

IV.

De commixtione ſimplicium medicamentorum purgantium.

V.

De commixtione medicamentorũ Purgantium compoſitorum.

VI.

De compoſitis purgantibus liquidis & bolo purgatorio.

VII.

De compoſitis purgantibus ſolidis.

VIII.

De Catapotiis ſeu pilulis.

IX.

De ſpeciali ſingulorum humorum purgatione.

X

Phlegmatici humoris purgatio.

XI.

Flauæ bilis purgatio.

XII.

Atræ bilis purgatio.

XIII.

XIII.

Sanguinem mundificantia.

XIV.

Vſtos humores educentia.

XV.

Aquam educentia.

XVI.

Aquam ruffam ſeu citrinam educentia.

INDEX CAPITVM LIB. III. DE PVRGATIONIbus.

I.

Quid a purgatione faciendum.

II.

Quomodo ſubueniendum his qui pharmacum biberunt, & non purgantur, ex Galeno & Aetio.

III.

Quid faciendum ſi medicamentum illegitime & moleſte vacuet, ex Meſue.

IV.

Quid faciēdum ſi medicamētum nimium, ſeu plus quam oportet, vacuet, ex Meſue.

V.

Cura primæ cauſſæ Hypercatharſeos.

VI

Cura cauſſæ ſecundæ Hypercatharſcos, hoc eſt, immodicæ purgationis.

VII.

Cura tertiæ cauſſæ Hypercatharſcos, ſiue immodicæ purgationis.

VIII.

De Narcoticis in immodica purgatione adhibendis.

IX.

De medicinis confortatiuis

Adami

ADAMI LONICERI

MEDICI REIPVBL. FRANcofurtenſis Ordinarii

Liber Primvs.

Qua ratione Medicamentum purgans, humorum eductionem moliatur.

Cap. I.

Dvobvs potiſſimum modis fit purgatio: interdum vomitu agitata ſurſum ad ſtomachũ materia: frequentius deiectione, medicamẽtis ad aluũ deturbatis. Ne putes autẽ medicamẽtum purgans ventriculo receptum ad humorẽ vacuandum penetrare, ſed in attractrice ſibi inſita, delectu quodam cognatum humorem & familiarem, ex venis & corporis meatibus ſenſum latentibus, ad ſe in ventriculum & inteſtina rapere, quemadmodum magnes ferrum, & ſuccinum feſtucam, & alia quædam alia attrahunt. Facultas itaque medicamentorum o-

Meſue lib 1. Canon. medicinaliũ cap. 2. Hippo. aphor. 2. lib. 1. & lib. 4. aphor. 4. 6. 7. 8. 9.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EM. ROMA

ſtēditur in materias,quando ea humorem ſibi familiarem delectu quodam educunt, non autem,(vt quibuſdam viſum eſt)eum,qui cæteris in corpore eſt largior, & poſt hunc alium copia illi proximum. Nam omnia medicamenta purgantia pituitam fere vacuarent, vt quæ in nobis propè ſemper quam vtraq; bilis eſt largior: quod falſum eſt. Imo humorem abſolute non vacuant, ſed hoc genus medicamenti humorē hūc ſibi familiarem delectu quodam expellit, eumque interdum tenuem, craſſo in nobis relicto, interdum contra. Cuiuſque enim medicamenti purgantis actio inſita & bene directa, hæc eligit,illa relinquit,hunc vel illum humorem reſpicit,non omnem,nec vltra quam paſſurus humor exigit,tranſgreditur, niſi immoderatius agat.

Hip. lib. de humana natura. Medicamentum igitur omnē humorem ſibi familiarem primum educit: deinde illum,qui ad ſequendum magis eſt habilis: poſtea alium ſequi paratiorem,poſtremo ſanguinem,quem ceu theſaurum quēdam natura quam-

diu

diu poteſt retinet, trahique prohibet, tandem vero victa trahētibus permittit expellendum. In hac autem humorum ſucceſſione primum ſibi cognatum trahit medicamentum, ſuo iure directū: alios vero tanquam degenerans, ob actionis vehementiam, quemadmodum ſi quis ad iram pronus, ſic ira incitetur, vt furiat. Tunc enim rectas actiones ſuas, vltra quā par eſt, & vltra quam ſtatuerat, tranſgredietur. Hoc autem ordine vacuant materias hæc purgantia medicamenta, vt Cholagogum bilem primum trahat, hinc pituitam, poſtea atram bilem, poſtremo ſanguinem; Phlegmagogum pituitam primum educat, poſtea bilē flauam, hinc atrā, poſtremo ſanguinē: Melanagoga deniq; bilē atrā primū, deinde flauam, ad poſtremū ſanguinē. Nullum n. medicamentū facultatē habet primā & per ſe hæmagogā, id eſt, qua ſanguinē abigat & vacuet, quem natura vſque ad poſtremum retinet, neq; trahi permittit, niſi coacta vi medicamenti immoderatiore. Quod ſi ſanguis iam corru-

Purgātia medicamenta qua ratione humores euacuent.

ptus eſt, ac cõputruit, ſanguis eſſe deſiit, & portione tenui in flauam bilem abiit, craſſa in atram, (vt inquit Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. 12) quam vtrãq; medicamento vacuante purgari poſſe nemini ambigitur. Omnia autem quæ ſumme & effreni virtute purgant medicamenta, ſanguinem tandem, non tamen propria vi educunt, ſed vel excoriatis venis, vel orificiis venarum tam late apertis, vt ſanguis effluat, vel ſua vi immoderatiore extremam vacuationem moliente. Qualia ſunt aloe, manna, cucumer agreſtis, cẽtaurium, colocynthis vnica in planta ſua, ſcãmonium e regione ſcenitarum, euphorbiũ, thymelæa ſeu granum gnidium, præſertim paruum. Sunt autem medicamẽta quædam ſanguinem purũ & clarum efficientia, vt lupulus, adianthum album, rhabarbarum ſceniticum, ſerum lactis, præcipue caprarum bono paſtu educatarũ, ſuccus roſarũ, caſſia fiſtula, abſynthiũ, fumaria aloe, ſuccus bonorũ fructuũ, vt damaſcenorum, aſphodelus, potiſſimũq; ipſius ſuccus, & ſimilia.

Cur frequentius materia deiectione per inferna expurgetur quam vomitu ſurſum, & de differentiis deiectoriorum medicamentorum.

CAP. II.

QVod autem materia medicamento purgãte attracta, frequentius ad inteſtina deſcendit, & per inferna expurgatur, quam per ſuperna, id fit quinque potiſſimũ de cauſſis: primo quod materia ob inſitam grauitatem ad inferna ruit: Secundo, quod venarum meatus, expellendis excremẽtis dedicati, plures ad inteſtina quam ad ventriculum deferuntur: Tertio quod inteſtina vacuandis excrementis deſtinauit natura, non ventriculum. Quarto, excrementa ad partes ignobiles & propinquas ſedi tranſmitti fuit melius, quam ad nobilem particulam, & a ſede remotum ventriculum. Poſtremo, quod pylorum, inferiorem vẽtriculi portam expulſioni, gulam vero attractioni natura dedicauit: Vnde etiãſi in ventriculum repant excrementa, tamen per inteſtina ea deiici præſtat, quam per gulam euomi. Ex quibus ap

I. II. III. IV. V.

paret, eandem naturam medicamenti purgantis opus deiectione potius, quã vomitu moliri: Omnis enim partis actio cõtra primum naturæ inſtitutum facta, eſt improſpera. Porro deiectoria medicamenta quadruplicem habent differentiam, aut enim vacuant diſſoluendo, vt ſcammonium, Turbith: aut comprimẽdo, vt myrobalani, quæ per adſtrictionem exprimunt: Aut lenien do, vt caſſia fiſtula, manna. Poſtremo lubricando, vt muccago ſem. pſyllii. Cæterum quæ diſſoluendo purgant & deiiciunt, fere eadem vel attrahunt vel eradicant: attrahũt quidem a ſupernis partibus materias; eradicant vero ab infernis. Reliquis vero tribus deiectoriorũ generibus facultas purgatrix inſita, eſt admodum imbecilla, ob idq; parum perſpicua, vt quæ ſolum materias quibus ipſa occurrunt, euacuet, neque epar tranſcendat. A capite autem per accidens vacuare videri hæc poſſint, quod materias ad ipſum tolli conſuetas vacuant. Cum itaque medicamenta ſoluendo purgantia, poſſint a parti

Quadruplex deiectorũ medicamẽtorum differentia

bus

bus remotis, ſupernis quidem attrahere, infernis vero eradicare: tria vero reliqua deiectoriorum purgantium genera materias potius obuias educant, illis in parte difficulter vacuanda, his in ea, quæ promte vacuatur eſt vtendum obſeruata ſimul proprietate, medicamento cuique purganti inſita hãc vel illã partẽ magis reſpiciente. Quando autem per ſuperna, quando per inferna debeat vacuatio fieri, paulo poſt dicetur.

Quibus medicamenta purgantia ſint exhibenda. quibus non?

CAP. III.

CVm purgatio ſit humorum vitioſorum qualitate ſua moleſtantium euacuatio, ergo his qui bona vtuntur valetudine, minime oportet purgantia medicamenta exhibere. Fiunt enim tales vertiginoſi, ac voluuloſi, torquentur itẽ & purgatio difficulter in ipſis ꝓcedit: ad hæc cito etiam exſoluuntur. *Purgatio quid.* *Sani minime purgandi.*

Sunt igitur hi purgãdi qui κακοχυμία hoc eſt, vitioſis humoribus laborant: ſiue iam ægrotent, ſiue ægrotaturis fue- *Qui purgandi.*

In quibus morbis purgare oporteat ex Aet. lib. 3.

Cap. IIII.

MAteriæ remouẽdæ gratia vtimur purgatoriis medicamentis in cephalæa, vertigine, hemicrania, comitiali, anhelatione, orthopnœa, coxendice, arthritide, podagra, nephritide, & in affectionibus veſicæ & vteri diuturnis. Similiter vbi fluxus aſſidue aures infeſtauerit, aut nares, aut oculos, aut os, aut ſtomachũ, aut totã ſuperficiem, & neq; reſiccetur ab aliis auxiliis, neq; aliter ſiſti poterit. Solet enim purgatio per aluum fluxiones cohibere. Et in hoc ordine locari poteſt etiam humoris atræ bilis purgatio, quæ hæmorrhoidum ſuppreſſarum gratia aſſumitur poſt venæ ſectionem. At antiquæ affectionis emouẽdæ ac expurgãdæ gratia, vtimur purgatoriis in reſolutione, ſyderatione, alimentũ non ſentientibus, torpore, ſopore, grauitate perſeuerante in quacunque corporis parte. Cæterum ob corporis temperamentum tranſmutandum, vtimur purgatoriis in diuturnis febribus, nimirũ

quo-

quotidianis & quartanis, inſania, atrabile, mentis exceſſu, malo habitu corporis, his qui propter humorem vitioſum non ſentiunt alimentum. Inſuper in elephantiaſi, ſcabie, lepra. puſtulis, morbo pediculari, & in vlceribus ſpontaneis & grauibus, affectionibusq; fluidis. At vero quo circumſitus & infeſtus humor educatur, vtimur purgatoriis in aqua inter cutem & regio morbo. Et hoc loco ſunt etiã ventris fluxiones, in quibus purgatoria aſſumimus: alioquando n. acris & inutilis humor ventris tunicis inſidens aut inteſtinorum, ſimiliter velut acres glandulæ aut infuſiones per anum, irritat inteſtina, & ſimul ipſa ſtimulat, & promtitudinem efficit ad excretionem, ſimulque per acredinem ſuam ex circumferentia corporis ac totius molis humorem attrahit. In his ergo conſentaneum eſt purgatoriis vti, quo talis humor ex corpore expellatur ac venter & inteſtina pura fiant.

Qui ad purgationes ſint apti.

CAP. V.

AD purgationes apti ſunt hi, qui vires habent validas, ſtomachum robuſtũ, & in quibus voluntas eſt prõta.

Qui ad purgationes ſint inepti.

Cap. VI.

INepti ſunt ad purgationes, pingues & prægraciles, inſuper qui multo ſanguine abundant, & qui aſſidue animo linquuntur, & ægre reuocantur, & qui cito ex omni occaſione vomunt. Pueri item ac ſenes, & mulieres, quibus menſes valide purgantur. Et qui valde purũ corpus habent, & qui certam habent victus rationem: Et quibus eſt aluus natura adſtricta. Et qui dyſenteria & cœliaca adfectione facile corripiũtur. Omnes hi ad purgationem inepti ſunt.

Qui humores ſint purgandi.

Cap. VII.

HVmores vacuare eos oportet, qui corpus moleſtant, hoc eſt, qui peccant, vel in qualitate, vel quantitate. Si igitur pituitoſus humor peccauerit, eundem educere conuenit: Si melancholicus humor corpus infeſtaue-

inteſtauerit, hunc medicamentis aggredi decet. Si flaua bilis moleſta fuerit, eandem euacuabimus. Si ſeroſus humor abundauerit, hinc expurgare expediet.

Quid faciendum ante purgationem?

CAP VIII.

ANtequã medicamentum purgans exhibeas, oportet craſſos & viſcoſos humores prius attenuare & ſecare, meatus aperire, per quos humores a purgatoriis medicamentis transferũtur ac trahuntur. *Aetius lib. 3.*

Et ſeroſos quidem ac tenues humores in principio morborum euacuare oportet.

In craſſis vero ac viſcoſis concoctio eſt exſpectanda, qualis eſt pituita & bilis atra. Sed & in omnibus diuturnis morbis ſemper concoctionem exſpectare conuenit. In acutis vero quũ turgent materiæ, etiam in principio pharmacum exhibe, idque cum multa cautione. Nam cum humores ſunt in motu, lationeq; ac fluxu, timor eſt, ne quod

ex viſceribus natura debile exſiſtens materiam commotam excipiat, & pſertim thorax. At in vna aliqua parte firmatos humores, velut in viſcerum inflammatione contingit, medicamētis aggredi non oportet priuſquam cōcoquantur: Quicunque enim inflammata in principiis per medicamēta ſoluere conantur, inquit Hippoc. a diſtento quidem & inflammato non auferunt quidquam: nihil enim remittit cruda affectio: Verum ſana & morbo reſiſtentia conſumunt: Dum enim debile fit corpus, morbus dominatur, quum autem morbus dominatur pernities adeſt.

Galenus. Hactenus Aetius. Eadē habet Gal. in lib. quos purgare oporteat, cap. 3. ſic ſcribens: Sed vt purgationem vndequaque proſper inſequatur ſucceſſus, extenuandi & incidendi antea erunt craſſi ac viſcidi humores, recludendique meatus, e quibus ducendi extrahendique ſunt.

Hippoc. Et Hippoc. 1. Aphor. 22. Concocta inquit medicamentis purgantibus euacuare

uacuare oportet: quæ vero ſunt cruda non mouere oportet, nec in principio morbi, niſi turgeant, vt plurimum vero non turgent. Quibus verbis vult Hip. concoctionem eſſe exſpectandam, ac prorſus non attentandam eſſe euacuationem humoribus nondum concoctis, ſed adhuc crudis, niſi crudi illi humores turgeant, hoc eſt, ab vna parte in aliam ferantur. Si enim non turgeant, ſed in aliqua parte firmati ſint, omnino ne mouendi quidem ſunt, multo minus purgante aliquo medicamento vacuandi, ſed exſpectanda erit eorum cõcoctio. Sin turgent, tum etiam ſi crudi fuerint, erunt euacuandi, ne turgentes humores corporis robur diſſoluãt, aut calorem febrilem augeant, aut ad principalem aliquam corporis partem decũbant. Atq; tũ etiã prima ſtatim die humor crudus euacuandus veniet, ꝙ vult Hip. 4. aph. 10. In acutis valde morbis, ſi materia turget, eadẽ die medicamẽto purgãte euacuare eã oportet.

Crudi humores minime ſunt mouendi, niſi turgeant.

Turgere quid.

Crudi humores quomodo conſiderãdi.

De præparatione humorum ad purgationem.

CAP. IX.

VT ergo humorem ad purgationem præpares, exhibere oportet pridie quam purges, ſiue etiam per aliquot dies ante iteratis vicibus ſummo mane medicamentum aliquod, quod humorem illum, quem expurgare cupis concoquat. Sunt autem eiuſmodi Syrupi, nam hi magna ex parte cum aquis cómixti ad hunc vſum adhibentur. Non autem ſolum humorem peccantem reſpicere oportet, ſed etiam locũ, hoc eſt, qua corporis parte peccet: Num videlicet caput, aut pectus, aut ventriculus, aut epar, aut renes, aut vterus humore vel phlegmatico, vel bilioſo, vel atrabiliario infeſtentur. Quo cognito pro humoris & loci ratione Syrupos parti corporis appriatos cũ aquis eiuſdẽ naturæ ad humoris peccãtis concoctionem miſcebis, idq; hac ratione, vt dupla ſit aquarũ ad vnã ſyruporũ menſura. Debet autẽ ſyruporũ & aquarum mẽſura nõ tranſcẽdere ℥iiij. Sũmo itẽ mane exhiberi debẽt, præter eos q cóciliandi ſomni cauſa ſumũtur. Ii n. veſperi circa ingreſſum exhibẽtur lecti.

De

De hoc vide tabulas ſequentes.

Præparantia ſeu digerentia pituitam in genere.

Syrupi præparantes pituitam	*Clementiores*	*Mel. roſ.* *Oxymel ſimpl.* *Oxymel. comp.* *Syr. acet.*	*Aquæ*	*Fœniculi* *Apii* *Abſinthii* *Saluiæ* *Nepetæ* *Aſparagi* *Menthæ* *Petroſelini* *Decoct. rubiæ*
	Valentiores	*De duab. rad.* *De quinq; rad.* *Oxymel. Scyl.* *Syr. de Stoech.*		

Sequitur Syruporum & aquarum pituitam digerentium ſpecialis expoſitio ſecundum membra corporis.

Syrupi præparantes pituitam in

- *Capite*
  - *Mel.roſ.*
  - *Syr.de Stœch.*
  - *Aquæ*: *Saluiæ*, *Betonicæ*, *Maioranæ*, *Roriſmari.*
- *Thorace*
  - *Mel.viol.*
  - *Syrup.de hyſſopo*
  - *de braſſio*
  - *de calamentho.*
  - *Aquæ*: *Scabioſæ*, *Capilli ven*, *Hyſſopi*, *Saluiæ*, *Enulæ camp.*
- *Ventriculo*
  - *Mel.roſ.*
  - *Syr.de mentha*
  - *de abſinth.*
  - *Aquæ*: *Menthæ*, *Abſynthii*, *Meliſſæ*, *Fœniculi*
- *Iecore*
  - *Syr. de abſinth.*
  - *de eupat.*
  - *Oxymel. ſimp.*
  - *Oxymel. comp.*
  - *Aquæ*: *Abſynthii*, *Cuſcuthæ*, *Cichoreæ*, *Apii*, *Eupatorii*
- *Liene*
  - *Syr.de eupat.*
  - *de thymo*
  - *de calamen.*
  - *Oxymel ſim.& comp.*
  - *Aquæ*: *Cuſcuthæ*, *Geniſtæ*, *Scolopẽdriæ*, *Calamynthæ*, *Bugloſſæ*
- *Renibus*
  - *Syr.de duab.rad.*
  - *Oxymel comp.*
  - *Oxymel.ſimp.*
  - *Aquæ*: *Aſparagi*, *Saxifragiæ*, *Fœniculi*
- *Vtero*
  - *Syr.de artemiſia*
  - *de rubia tinct.*
  - *Oxymel.ſim.& comp.*
  - *Aquæ*: *Artemiſiæ*, *Matricariæ*, *Meliſſæ*, *Nepetæ*, *Fœniculæ*

Præparantia ſeu digerentia bilem flauam in genere.

- **Clementiora**
  - Syr. Violaceus
  - Syr. roſ. ex infuſione
  - de ſucco roſarum
  - de Endiuia
  - de cichor. ſimp.
  - de cichor. cũ Rheub,
  - de ſucco acetoſa
  - de agreſta
  - de Nymphæa.
- **Valentiora**
  - Oxyſaccharum
  - Syrup. de granatis
  - de limonibus
  - de acetoſ. citri
  - rob. de ribes.
- **Aqua**
  - Violarum
  - Endiuia
  - Acetoſa
  - Cuſcutha
  - Lactuca
  - Portulaca
  - Nymphæa
  - Cichorii
  - Plantag.
  - Solani.

Sequitur

Syruporum & aquarum flauam bilem digerentium ſpecialis expoſitio ſecundum membra corporis.

Reſpiciunt	*Caput*	*Syrup. de nymphæa* *de papauere.*	*Aqua*	*Lactuca* *Plantag.* *Nenupharis*
	Thoracem	*Syrup. Viol.* *de iuiubis* *de Glycyrrh.* *Iulep. viol.* *de papau.*	*Aqua*	*Hordei* *Violarum* *Capilli ven.*
	Ventriculum	*Syrup. acetoſ.* *myrtillorum* *de citoniis* *de agreſta* *de ſucco acetoſa*	*Aqua*	*Lactuca* *Cichorii* *acetoſa* *Plantag.* *Roſarum.*
	Iecur	*Syr. de ſucco endiuia* *de cichor. cũ Rheub.* *acetoſ ſimpl.* *de byſantiis*	*Aqua*	*Endiuia* *acetoſa* *cichorii* *Portulaca*
	Lienem	*Syr. Viol.* *acetoſa ſimpl.* *de duab. rad.*	*Aqua*	*Endiuia* *Bugloſſa* *Borraginis* *Scolopendria.*
	Renes	*Syr. acet ſimp.* *acet. com.* *endiuia* *Violarum,*	*Aqua*	*Endiuia* *malua* *ſemin. frig communium* *Solatri.*

Præparãtia ſeu digerentia bilem atram, in genere.

Clementiora	Mel. roſ. Syr. de lupulis de fumaria de byſantiis Oxymel. ſimp. Oxymel. comp. Syr. de bugloſſa.	Aqua	Meliſſæ Baſiliconis Lupulorum Fumariæ Abſinthii Borraginis Bugloſſæ Scolopendriæ Maioranæ Florũ Sãbuci Florũ Geniſtæ.
Valentiora	Syr. de thymo de epithymo de pomis de calamentho. de Scolopendria		

Sequitur Syruporum & aquarum atram bilem digerentium ſpecialis expoſitio ſecundum membra corporis.

Reſpiciunt	Caput	Syr. de lupulis de fumo terræ de pomis oxymel	Aqua	Meliſſæ Baſiliconis fumariæ borraginis bugloſſæ ſcolopendriæ maioranæ
	Vẽtriculũ, epar & lienẽ.	Mel roſ. Syr de thymo de epithymo oxymel		

Qua parte corporis purgationem moliri oporteat, ex Gal. lib. quos oporteat purgare.

Cap. X.

Decuerit itaq; humorem bilioſum partibus euacuare ſupernis, ſicut pituitoſum infernis; Quamquam vice verſa ſit nonnunquam agendum, vbi videlicet in ventre pituitoſus, inteſtinis vero bilioſus colligetur. Perpetuo tamen Melancholicum humorem inferne purgare par fuerit. *Tempus* Temporum autem rationem Hip. in Aphor. tradit ventres ſuperiores quidem æſtate, inferiores vero hyeme medicamentis purgandos eſſe. Similes quoque ſunt anni temporibus regiones: ea propter iuxta *Regio.* erunt conſiderandæ, num caliditate an frigiditate præualeant. *Ætas.* Sic etiam ætatum par habenda eſt ratio. *Cõſuetudo.* Conſuetudo itidẽ non negligenda, vt quæ non parum momenti ad euacuationis indicationem adferat. Tutior vero ſuperioris ventris purgatio fuerit iis, qui vomere aliquando adſueſcant: veluti in diſcrimen veniunt vomitus expertes, tũq; validius vbi veratro vti cœperint.

At

At morbi quoque genus pēſi habere expedit. In aqua nimirū cutim ſubeunte indigemus medicamento, cui pituitam educere facultas ſit, primū quidem inferno ventre, deinde vomitu, tū apophlegmatiſmis, hoc eſt, iis, quæ per os pituitam euocāt. Nam cum immodicus humor in vniuerſum corpus extendatur, omnes ſane vſurpabimus euacuationes. Quemadmodum igitur in Aſcite, quæ aquam cient propinabimus medicamina, ſic morbo regio laborantibus ea, quæ bilem educunt: his enim multifariam quoque purganda bilis eſt, per ſuperiores ſcilicet & inferiores partes, vt pote vrinam, palatum & nares. Pari modo cū humor Melāncholicus plus iuſto accreuerit, quæ eūdem detrahant exhibebimus, velut in atra bile, cancro, & elephante. Iam etiam morbo comitiali detentis pituitā repurgare iubemus. Perſpicuum igitur ex his omnibus fit ægritudinis conſtitutionem non ſolum humorem qui vacuādus ſit monſtrare: verum etiam locum quo eundem euacuare æquum *Morbi genus.*

fuerit, oſtendere. Siquidem hac ratione, ſi phlegmone iecur obſidat, coctioneque apparente, & in ſimas eius partes vergente affectu, aluo ſubducta noxia repurgamus: velut vrinæ meatibus cum videlicet ad gibbas magis acceſſerit. Sic ſane in aliis etiamnum morbis ſedulo obſeruabis & ſuccum abundantem, & adfectum locum, a quo inſtar cauſæ ægritudo oritur. Liquebit tibi nimirum his tum humor educendus; tum genus euacuationis, tum locus eidem cõgruus, tum præ cæteris ipſum quoque tempus. Principio namque ſerosos ac tenues vacuabis humores, craſſorum atque viſcidorum (cuiuſmodi ſunt pituita & atra bilis) coctionem exſpectas. Sumta vero ab acceſſionibus indicatione e ſuperioribus partibus, in ipſa exacerbatione purgabis, ex infernis autẽ poſt ipſum remiſſionis nominatum tempus. Hoc namque modo & quæ ſua ſpõte cõtingunt, tibi item pſidio ſunt futura. Nã plurimi in exacerbationibus, & vomitus & ſanguinis e naribus profluuium haud temere vn-

quam

quam prohibent: perinde ac in ipſis remiſſionibus lotium aluiq; excrementa depromunt. Animaduertiſſe igitur tẽpus acceſſionũ dierumq; iudicialium conſentaneum magnopere fuerit. Iam ſane ſi inferioribus partibus copioſius detrahere adnitaris, vergãt autem ſucci ad ſupernas medicamenti purgantis, impedietur facultas.

Quæ ſint in purgationibus conſideranda.

CAP. XI.

EX dictis abunde patet, ſeptem eſſe in purgationibus exhibendis conſideranda, nimirum, Qualitatem, tempus anni, regionem, ætatem, conſuetudinem, ſpeciem morbi, & vires ægrotãtis. Quibus etiam locum Lunæ in cœlo, ne quid prætermittere videamur, addemus.

Quæ in medicamento purgante ſimplici deligendo ſint cõſideranda.

CAP. XII.

IN medicamento purgante ſimplici deligendo duo ſunt cõſideranda. Primum medicamenti ipſius eſſentia, de- I: II.

Eſſentia medicamenti. inde facultas: In eſſentia medicamenti purgantis eſt videndum, vt quæ maleficam habẽt naturam a ſalubribus diſcernantur. *Facultas medicamenti.* In facultate vero medicamenti purgantis eſt conſiderandum, an per ſuperiora, hoc eſt, per vomitum, an per inferiora, hoc eſt, per deiectionem poſſit euacuare.

Meſues in lib. 1. canonũ medicinaliũ cap. 1. Quod igitur ad eſſentiam medicamẽtorum attinet, quædam ſunt toto genere malefica, quorum virtus effrenis omnibus eſt nota, vt thymelæa, lathyris, euphorbium: Alia ſunt ſpecie tantum ſeu accidente malefica, eaque in multis generibus, vt turbith nigrũ, agaricus niger & durus, colocynthis in vnica planta ſua, ſcammonium ſceniticum, a quibus ambobus abſtine, niſi ſi quãdo in magnis affectibus eſt his prius omni ratione correctis vtendum.

Quib. modis medicamẽtum maleficũ a benigno ſecernatur. Porro, ſeptem modis medicamentum maleficum a benigno ſecernitur. Videlicet ſubſtãtia, temperatura, qualitatibus, quæ temperaturã ſequuntur, tempore, loco natali, vicinia medicamenti alterius, & numero.

Secundũ

Secundum ſubſtantiam differentiæ ipſius ſunt obſeruandæ, ſi eſt leue, graue, rarum, denſum, craſſum, tenue, lentum, friabile. Quæ enim ſunt inter has facultate valētiora, qualia ſunt omnia trahendo pu[illegible]ntia, quo ſunt leuiora eo meliora, grauiora autē maligna. Ob id ſcammonium, colocynthis, euphorbium, agaricus, nitrum, aloe, & ſimilia, leuiora ſunt præſtantiora. Similiter quæ humiditatem habent excremētoſam. Vt agaricus, turbith, polypodiū, ſcylla, & ſimilia leuiora ſunt meliora. Quæ vero facultatem habent remiſſiorē, ea quo fuerint grauiora, hoc ſunt meliora. Talia ſunt, vel quibus coacta ſubſtantia eſſe debet, vt Hermodactylus, Iris, Cyanus lapis: vel quæ comprimendo purgant, vt myrobalani ſpecies, rheubarbarū, abſynthiū, abſynthii ſuccus: vel quæ leniendo & lubricando purgant, vt pſyllium, pruna, myxa, caſſia fiſtula, vel quæ plena non vacua, eſſe oportet: Vt caſſia fiſtula, tamarindi, balanus myrepſica, cnicus, granum nil, quod Cartamum Indicum quidam

I. Subſtantia.

VT ergo humorem ad purgationem præpares, exhibere oportet pridie quam purges, ſiue etiam per aliquot dies ante iteratis vicibus ſummo mane medicamentum aliquod, quod humorem illum, quem expurgare cupis concoquat. Sunt autem eiuſmodi Syrupi, nam hi magna ex parte cum aquis cõmixti ad hunc vſum adhibentur. Non autem ſolum humorem peccantem reſpicere oportet, ſed etiam locũ, hoc eſt, qua corporis parte peccet: Num videlicet caput, aut pectus, aut ventriculus, aut epar, aut renes, aut vterus humore vel phlegmatico, vel bilioſo, vel atrabiliario infeſtentur. Quo cognito pro humoris & loci ratione Syrupos parti corporis ap̄ppriatos cũ aquis eiuſdẽ naturæ ad humoris peccãtis concoctionem miſcebis, idq; hac ratione, vt dupla ſit aquarũ ad vnã ſyruporũ menſura. Debet autẽ ſyruporũ & aquarum mẽſura nõ tranſcẽdere ℥iiij. Sũmo itẽ mane exhiberi debẽt, præter eos q̃ cõciliandi ſomni cauſa ſumũtur. Ii n. veſperi circa ingreſſum exhibẽtur lecti.

De

De hoc vide tabulas ſequentes.

Præparantia ſeu digerentia pituitam in genere.

- *Syrupi præparantes pituitam*
  - *Clementiores*
    - *Mel.roſ.*
    - *Oxymel ſimpl.*
    - *Oxymel.comp.*
    - *Syr. acet.*
  - *Valentiores*
    - *De duab.rad.*
    - *De quinq; rad.*
    - *Oxymel. Scyl.*
    - *Syr. de Stoech.*
- *Aquæ*
  - *Fœniculi*
  - *Apii*
  - *Abſinthii*
  - *Saluiæ*
  - *Nepetæ*
  - *Aſparagi*
  - *Menthæ*
  - *Petroſelini*
  - *Decoct. rubiæ*

Sequitur Syruporum & aquarum pituitam digerentium ſpecialis expoſitio ſecundum membra corporis.

Syrupi præparantes pituitã in

- *Capite*
  - *Mel.roſ.*
  - *Syr.de Stœch.*
  - *Aqua*: *Saluiæ*, *Betonicæ*, *Maioranæ*, *Roriſmari.*
- *Thorace*
  - *Mel viol.*
  - *Syrup.de hyſſopo*
  - *de braſſio*
  - *de calamentho.*
  - *Aqua*: *Scabioſa*, *Capilli ven*, *Hyſſopi*, *Saluiæ*, *Enulæ camp.*
- *Ventriculo*
  - *Mel roſ.*
  - *Syr.de menthæ*
  - *de abſinth.*
  - *Aqua*: *Menthæ*, *Abſynthii*, *Meliſſæ*, *Fœniculi*
- *Iecore*
  - *Syr. de abſinth.*
  - *de eupat.*
  - *Oxymel. ſimp.*
  - *Oxymel. comp.*
  - *Aqua*: *Abſynthii*, *Cuſcuthæ*, *Cichoreæ*, *Apii*, *Eupatorii*
- *Liene*
  - *Syr.de eupat.*
  - *de thymo*
  - *de calamen.*
  - *Oxymel ſim.& comp.*
  - *Aqua*: *Cuſcuthæ*, *Geniſtæ*, *Scolopēdriæ*, *Calamynthæ*, *Bugloſſæ*
- *Renibus*
  - *Syr.de duab.rad.*
  - *Oxymel comp.*
  - *Oxymel.ſimp.*
  - *Aqua*: *Aſparagi*, *Saxifragiæ*, *Fœniculi*
- *Vtero*
  - *Syr.de artemiſia*
  - *de rubia tinct.*
  - *Oxymel.ſim.& comp.*
  - *Aqua*: *Artemiſiæ*, *Matricariæ*, *Meliſſæ*, *Nepetæ*, *Fœniculi*

Præparantia ſeu digerentia bilem flauam in genere.

Clementiora
- *Syr. Violaceus*
- *Syr. roſ. ex infuſione*
- *de ſucco roſarum*
- *de Endiuia*
- *de cichor. ſimp.*
- *de cichor. cũ Rheub,*
- *de ſucco acetoſa*
- *de agreſta*
- *de Nymphæa.*

Valentiora
- *Oxyſaccharum*
- *Syrup. de granatis*
- *de limonibus*
- *de acetoſ. citri*
- *rob. de ribes.*

Aqua
- *Violarum*
- *Endiuia*
- *Acetoſa*
- *Cuſcutha*
- *Lactuca*
- *Portulaca*
- *Nymphæa*
- *Cichorii*
- *Plantag.*
- *Solani.*

Sequitur

Syruporum & aquarum flauam bilem digerentium ſpecialis expoſitio ſecundum membra corporis.

Præparãtia ſeu digerentia bilem atram ; in genere.

- *Clementiora*
  - *Mel. roſ.*
  - *Syr. de lupulis.*
  - *de fumaria*
  - *de byſantiis*
  - *Oxymel. ſimp.*
  - *Oxymel. comp.*
  - *Syr. de bugloſſa.*
- *Valentiora*
  - *Syr. de thymo*
  - *de epithymo*
  - *de pomis*
  - *de calamentho.*
  - *de Scolopendria*
- *Aqua*
  - *Meliſſæ*
  - *Baſiliconis*
  - *Lupulorum*
  - *Fumariæ*
  - *Abſinthii*
  - *Borraginis*
  - *Bugloſſæ*
  - *Scolopendriæ*
  - *Maioranæ*
  - *Florũ Sãbuci*
  - *Florũ Geniſtæ.*

Sequitur Syruporum & aquarum atram bilem digerentium ſpecialis expoſitio ſecundum membra corporis.

- *Reſpiciunt*
  - *Caput*
    - *Syr. de lupulis*
    - *de fumoterræ*
    - *de pomis*
    - *oxymel*
  - *Vẽtriculũ, epar & lienẽ.*
    - *Mel roſ.*
    - *Syr de thymo*
    - *de epithymo*
    - *oxymel*
- *Aqua*
  - *Meliſſæ*
  - *Baſiliconis*
  - *fumariæ*
  - *borraginis*
  - *bugloſſæ*
  - *ſcolopendriæ*
  - *maioranæ*

Qua parte corporis purgationem moliri oporteat, ex Gal. lib. quos oporteat purgare.

Cap. X.

DEcuerit itaq; humorem bilioſum partibus euacuare ſupernis, ſicut pituitoſum infernis; Quamquam vice verſa ſit nonnunquam agendum, vbi videlicet in ventre pituitoſus, inteſtinis vero bilioſus colligetur. Perpetuo tamen Melancholicum humorem inferne purgare par fuerit. *Tempus* Temporum autem rationem Hip. in Aphor. tradit ventres ſuperiores quidem æſtate, inferiores vero hyeme medicamentis purgandos eſſe. Similes quoque ſunt anni temporibus regiones: ea propter iuxta *Regio.* erunt conſiderandæ, num caliditate *Ætas.* an frigiditate præualeant. Sic etiam ætatum par habenda eſt ratio. *Cōſuetudo.* Conſuetudo itidē non negligenda, vt quæ non parum momenti ad euacuationis indicationem adferat. Tutior vero ſuperioris ventris purgatio fuerit iis, qui vomere aliquando adſueſcant: veluti in diſcrimen veniunt vomitus expertes, tūq; validius vbi veratro vti cœperint.

At

At morbi quoque genus pēſi habe- *Morbi genus.* re expedit. In aqua nimirū cutim ſub-eunte indigemus medicamento, cui pituitam educere facultas ſit, primū quidem inferno ventre, deinde vomitu, tū apophlegmatiſmis, hoc eſt, iis, quæ per os pituitam euocāt. Nam cum immodicus humor in vniuerſum corpus extendatur, omnes ſane vſurpabimus euacuationes. Quemadmodum igitur in Aſcite, quæ aquam cient propinabimus medicamina, ſic morbo regio laborantibus ea, quæ bilem educunt: his enim multifariam quoque purganda bilis eſt, per ſuperiores ſcilicet & inferiores partes, vt pote vrinam, palatum & nares. Pari modo cū humor Melācholicus plus iuſto accreuerit, quæ eūdem detrahant exhibebimus, velut in atra bile, cancro, & elephante. Iam etiam morbo comitiali detentis pituitā repurgare iubemus. Perſpicuum igitur ex his omnibus fit ægritudinis conſtitutionem non ſolum humorem qui vacuādus ſit monſtrare: verum etiam locum quo eundem euacuare æquum

fuerit,oſtendere. Siquidem hac ratione, ſi phlegmone iecur obſidat,coctioneque apparente, & in ſimas eius partes vergente affectu,aluo ſubducta noxia repurgamus: velut vrinæ meatibus cum videlicet ad gibbas magis acceſſerit. Sic ſane in aliis etiamnum morbis ſedulo obſeruabis & ſuccum abundantem, & adfęctum locum, a quo inſtar cauſæ ægritudo oritur. Liquebit tibi nimirum his tum humor educendus; tum genus euacuationis, tum locus eidem cõgruus,tum præ cæteris ipſum quoque tempus. Principio namque ſerofos ac tenues vacuabis humores,craſſorum atque viſcidorum (cuiuſmodi ſunt pituita & atra bilis) coctionem exſpectãs. Sumta vero ab acceſſionibus indicatione e ſuperioribus partibus,in ipſa exacerbatione purgabis, ex infernis autẽ poſt ipſum remiſſionis nominatum tempus. Hoc namque modo & quæ ſua ſpõte cõtingunt,tibi item pſidio ſunt futura. Nã plurimi in exacerbationibus, & vomitus & ſanguinis e naribus profluuium haud temere vnquam

quam prohibent: perinde ac in ipſis remiſſionibus lotium aluiq; excrementa depromunt. Animaduertiſſe igitur tēpus acceſſionū dierumq; iudicialium conſentaneum magnopere fuerit. Iam ſane ſi inferioribus partibus copioſius detrahere adnitaris, vergāt autem ſucci ad ſupernas medicamenti purgantis, impedietur facultas.

Quæ ſint in purgationibus conſideranda.

CAP. XI.

EX dictis abunde patet, ſeptem eſſe in purgationibus exhibendis conſideranda, nimirum, Qualitâtem, tempus anni, regionem, ætatem, conſuetudinem, ſpeciem morbi, & vires ægrotātis. Quibus etiam locum Lunæ in cœlo, ne quid prætermittere videamur, addemus.

Quæ in medicamento purgante ſimplici deligendo ſint cōſideranda.

CAP. XII.

IN medicamento purgante ſimplici
deligendo duo ſunt cōſideranda. Pri I:
mum medicamenti ipſius eſſentia, de- II.

Eſſentia medicamenti. inde facultas: In eſſentia medicamenti purgantis eſt videndum, vt quæ maleficam habēt naturam a ſalubribus diſcernantur. *Facultas medicamenti.* In facultate vero medicamenti purgántis eſt conſiderandum, an per ſuperiora, hoc eſt, per vomitum, an per inferiora, hoc eſt, per deiectionem poſſit euacuare.

Meſues in lib. 1. canonũ medicinaliũ cap. 1. Quod igitur ad eſſentiam medicamētorum attinet, quædam ſunt toto genere malefica, quorum virtus effrenis omnibus eſt nota, vt thymelæa, lathyris, euphorbium: Alia ſunt ſpecie tantum ſeu accidente malefica, eaque in multis generibus, vt turbith nigrũ, agaricus niger & durus, colocynthis in vnica planta ſua, ſcammonium ſceniticum, a quibus ambobus abſtine, niſi ſi quādo in magnis affectibus eſt his prius omni ratione correctis vtendum.

Quib. modis medicamētum maleficũ a benigno ſecernatur. Porro, ſeptem modis medicamentum maleficum a benigno ſecernitur. Videlicet ſubſtātia, temperatura, qualitatibus, quæ temperaturã ſequuntur, tempore, loco natali, vicinia medicamenti alterius, & numero.

Secundũ

Secundum ſubſtantiam differentiæ ipſius ſunt obſeruandæ, ſi eſt leue, graue, rarum, denſum, craſſum, tenue, lentum, friabile. Quæ enim ſunt inter has facultate valẽtiora, qualia ſunt omnia trahendo pu[illegible]ntia, quo ſunt leuiora eo meliora, grauiora autẽ maligna. Ob id ſcammonium, colocynthis, euphorbium, agaricus, nitrum, aloe, & ſimilia, leuiora ſunt præſtantiora. Similiter quæ humiditatem habent excremẽtoſam. Vt agaricus, turbith, polypodiũ, ſcylla, & ſimilia leuiora ſunt meliora. Quæ vero facultatem habent remiſſiorẽ, ea quo fuerint grauiora, hoc ſunt meliora. Talia ſunt, vel quibus coacta ſubſtantia eſſe debet, vt Hermodactylus, Iris, Cyanus lapis: vel quæ comprimendo purgant, vt myrobalani ſpecies, rheubarbarũ, abſynthiũ, abſynthii ſuccus: vel quæ leniendo & lubricando purgant, vt pſyllium, pruna, myxa, caſſia fiſtula, vel quæ plena non vacua, eſſe oportet: Vt caſſia fiſtula, tamarindi, balanus myrepſica, cnicus, granum nil, quod Cartamum Indicum quidam

I. Subſtantia.

vocant, ricinus, & ſimilia. De ſubſtantia rara vt de leui, de denſa vt de graui eſt iudicandum. Quamuis autē ſubſtantia friabilis eſſe tenuis, & lenta eſſe craſſa videatur, tamen id abſolute verum non eſt, cum ex his, quæ ſubſtantia ſunt craſſa, (vt idē de tenui pollicear) quædam lenta & friabilia inueniantur, vt ex aloe craſſa quædam lenta, quædam friabilis? Idem oſtendunt ſcamīnonium, ſalis ſpecies & nitrum. Sagapenum quoque eſt lentum & tenax, ſed tenue, & item anacardus. Non eſt igitur vnicum tenue friabilis cauſa, neque craſſum lenti & glutinoſi, ſed a puritate & impuritate, cum tenuitate & craſſitie iuncta proficiſcitur vtrumque. Nam purum & tenue eſt friabile, impurum ſimul & craſſum eſt lentum: præter illa, quorum eſſentia eſt humida & lēta, vt ſaccharum, ſaccharū candum, manna. In his enim quod purius & tenuius, eſt glutinoſius.

11. *Temperamentum.* A temperamento autem malignum medicamētum a benefico ſecernitur, per qualitatum primarum actiones & opera:

opera: Nam medicamentum calidum, calefactio, tenuatio, rarefactio, maturatio, coctio, viarum apertio, & ſimilia effecta propria ſequuntur: Si autem immodice calidum eſt, morſus, deſiccatio, ſitis: Si deniq; eſt ſumme calidũ, inflãmatio, vſtio cauterii modo, morſus acerrimus, attractio immodica, cõſumtio, phœnigmos, id eſt, rubifica tio. Frigidum autem frigefactio, cruditas & ſimilia. Si ſupra modum eſt frigidum, coarctatio, obſtructio: Si extreme frigidũ eſt, cõgelatio, ſtupefactio, mortificatio. Humidũ item, humectatio, lubricatio, lenitio, glutinatio: Si admodum eſt humidum, obſtructio, flatus, nauſea, & ſimilia, præſertim ſi etiam glutinoſum ſit. Siccũ denique, ſiccatio, rarefactio, emaciatio, coarctatio cauitatum, cutis corrugatio, cutis ſciſſio, furfuratio, & ſimilia. Propterea medicamentum purgans calidum ſalubrius eſt frigido humidum ſicco, & etiam calido. In ſumma quanto medicamentum eſt temperamento hominis medio propinquius, tanto ſalubrius:

Calidi effectus.

Frigidi effectus.

Humidi effectus

Sicci effectus.

quãto remotius tãto malignius. Quod ſi qualitatibus his a media hominis tẽperatura extreme recedat, venenum potius eſt dicẽdum quam medicamẽtum, Qualitatibus quæ temperamentum conſequũtur, ſecernũtur etiã medicamenta purgantia malefica a benignis: Sunt autem eæ qualitates ſequentes temperaturam, tactus, olfactus, guſtus, viſus.

III. Qualitates temperamentũ ſequentes

Tactiles qualitates

Tactus igitur eſt index certus, mollis, duri, aſperi, lenis. Molle eſt quod cedit noſtræ carni: durum contra, cui noſtra caro cedit: illud quoque facile patitur, alteratur, corrigitur: hoc difficulter: Aſperum quoq; a ſiccitate eſt, lene ab humiditate, Ob id quæ medicamenta purgantia, præſertim virium violentarũ, ſunt lenia, ſunt ſalubriora, & alia ſimiliter, præſertim quibus & lenibus & aſperis in eodem genere eſſe cõtingit: Aſpera contra. Sic colocynthis, abſinthium, fumaria, elaterium, agaricus, & ſimilia, lenia probantur, aſpera improbantur.

Olfactiles qualitates.

Medicamenta bene olentia ſunt ſalubri

lubriora, quia odor ille bonus, partes principes facultatũ, ceu fontes, roborat, ſpiritus inſtaurat, & facultates animamque exhilarat: grauis contra ob id effecta moleſta, & difficilia illi ſuccedunt.

Guſtatiles qualitates, vt ſunt ſapores

Sapor autem præter cætera obſeruandus in indicando medicamẽto purgante ſalubri aut inſalubri. Nam hic medicamẽti virtutem immutat, & modice diuerſam facit. Hoc autem loco de ſaporibus tantum eſt nobis dicendum, quantum ad diſcernendum medicamẽtum bonum a malo pertineat, quatenus ſcilicet eos propriæ & puræ quædam diſpoſitiones omnino conſequantur.

Sapor acris.

Acre medicamẽtum facile inflammatur, mordet, penetrat, aperit, vrit, vlcerat, flatus, diſſipat, tenuat, incidit, ſeparat, reſoluit, e longinquo attrahit, ſiccat, emaciat, ſitim facit: ob hæc omnia cito & valenter agit, & ſua tenui eſſentia amarum medicamentum, & cætera imbecilliter aut tarde purgantia celerat, & purgantiora reddit.

Sapor amarus — Amarum autem ſiccat, conſumit, vlcerat, aperit orificia venarum, hæmorrhagiã mouet, a putredine vindicat, terget, incidit, torminoſum eſt, cõturbat, reſoluit, attrahit, ſed tardius quam acre: flatus diſſipat, ſitim excitat, valenter agit, ſed tarde, ſuaque craſſa ſubſtantia acre obtundit.

Sapor ſalſus — Salſum vero incidit, terget, tenuat, liquat, mordet, a putredine vindicat, conturbat, ſubuertit ventriculum, & ad vomitum impellit, ſiccat, ſitim excitat, aſperat, expurgat radendo, aperit, & hæc omnia opera tarda & imbecillia efficit: ob hæc ſuamque mediocrem ſubſtantiam, omnia imbecilliter & tarde ſoluentia roborat.

Sapor pinguis. — Vnctuoſum lenit, lubricat, laxat, mollit, abominabile eſt & nauſeabundũ, flatus gignit, obſtruit. Hæc omnia imbecilliter & tarde perficit, ſuaque mediocri ſubſtantia acre, amarum, ſalſum reprimit.

Sapor dulcis. — Dulce leuat, lenit, obſtruit, flatulẽtũ eſt. Omnia autem hæc præſtat imbecilliter, nec cito, nec tarde, ſed in horum

rũ medio: acre autẽ, amarum, ſalſum quoq; reprimit, ſed inſipidũ roborat.

Acidum penetrat, aperit, incidit, diuidit, tenuat, terget, denſat, aſperat, extinguit calorem, cito agit hæc opera: ſed in medio valẽtium & imbecillium eſt: ſua deniq; ſubſtãtia tenui acre obtũdit, dulci & inſipido vigorẽ addit. *Sapor acidus.*

Stypticum, quale eſt acerbum & auſterum, intro cogit, denſat, repellit, roborat, diuiſa glutinat, tarde & imbecilliter agit, ſuaque ſubſtantia craſſa omnia prædicta obtundit, quibus acre, amarum, & ſalſum vires addunt. *Sapor ſtypticus, acerbus & auſterus*

Inſipidum denique lubricat, flatulentum eſt, obſtruit, denſat, congelat, calorem exſtinguit, & hæc omnia tarde & debiliter: ſua tamen ſubſtantia mediocri, acre, amarum, ſalſum, acidum, reprimit. *Sapor inſipidus*

Hac igitur de cauſſa, quæ medicamenta purgantia ſunt ſolũ & omnino acria, vt euphorbium, thymelæa, ſunt maligniora, quam ſynceriter amara, vt Colocynthis, cucumer agreſtis. In horum medio ſunt acria ſimul & a- *Sapor in medicamentis quale iudicium prabeat*

mara, vt Scammonium. Innocentiora his ſunt acria ſimul & ſtyptica vt thymum, epithymũ. His adhuc mitiora, quæ amara ſimul & ſtyptica ſunt, vt Rhabarbarum, abſinthium, fumaria, aloe. In horum medio acria & amara & ſimul ſtyptica, vt ſtœchas. In ſumma quanto medicamentum ab acri & amaro ſapore recedit longius, tãto eſt benignius: quoque acris & amari medicamenti proportionem ſtyptica ſubſtãtia vincit magis, eo eſt ſanius medicamentum. Saluberrima quoq; ſunt dulcia, vt caſſia fiſtula, manna: & inſipida, vt pſyllii mucago: & dulcia ſimul & acida, vt pruna, tamarindi. Minus his ſalubria dulcia & amara ſimul, vt violæ: Meliora quibus ad dulcedinem & amaritudinem acceſſit ſtyptica ſubſtãtia, vt roſæ: Stypticitas enim medicamenta omnia purgãtia reddit ſalubriora. Quibus autem natura deeſt ſalubre aliquid ars naturæ imitatrix & miniſtra, id debet ſufficere: quod fit adiectis aliquibus, quæ effrenem medicamẽti vim corrigere poſſint, de quibus in

in ſimplicium purgantium mentione dicetur.

Ex colore autem ſecretio medicamenti maligni a benigno certa & vniuerſalis ſumi nequit, quamquam ex accidente ſit in quibuſdam generibus ordinata & ſcientifica, vt agaricus, colocynthis, turbith, alba ſunt præſtantiora, nigra malefica: Scammonium ſubalbum aut varium eſt bonum, nigrum vero malum: roſa exacte rubra eſt melior, & alia aliter. De his autem qualitatibus temperamentum ſequentibus ſi plura requiris, lege philoſophiam naturalem. *Qualitates viſiles*

cta maneat, quod Philoſophi vocant ſeparationem rei ſecundum ſpeciem, a re, quæ eſt ſecundũ materiam, hoc eſt, formæ & virtutis ſpecificæ a materia tranſmutationem. Vt cum ſcammonium incoctum ſyrupis propinamus, aut radicem raphani confixam in radicibus ellebori & ſub cineribus coctam: Remiſſior enim eſt in his vis purgatrix. Tertio multorum medicamentorum malignitas reprimitur ipſorum coctione in herbarum, ſeminum, vel aliorũ ſuccis & aquis, ſua facultate illorum violentiam permutantibus. Quarto, elixatio ſeu coctio facultates medicamẽtorum diuerſas optime omnium permiſcet, vt ex his omnibus vna reſultet velut concreta, faciens actionem.

Porro quædam ſunt parum tantum coquenda, velut quorum virtus facile reſoluitur, vel imbecilla eſt, vel in ſuperficie poſita, vel in ſubiecto raro con ſiſtit, vt ſunt ſem. 4. frig. mai. adiãthum album, epithymum, violæ, & flores. *Coquenda parum*

Quædam ſunt diu coquenda, vt quæ prædictis ſunt contraria, velut craſſæ *Coquenda diu*

quæ ſunt eſſentiæ, acria itẽ: fiunt enim diutius cocta clementiora. Quædam mediocriter tantum ſunt coquenda, vt quæ mediam inter iam dicta naturam habent. Quæ vero humiditate multa, aut lubricando purgant, his coctio parum vel nihil prodeſt.

Coquẽda mediocriter

Quibus non proſit coctio

Aſſatio

Aſſatio facta in frixorio vel patella, virtutẽ medicamẽti nũc auget, vt aſſata ſcylla purgantior euadit: nũc minuit, vt pſylliũ aſſatũ minus purgat, ob adẽtam ſcilicet lubricam humiditatem. Nonnũquam etiam vnam medicamẽti facultatem reprimit, & alteram confortat, valentioremque efficit. Vt myrobalani, rhabarbarum aſſando virtutem purgatoriam remittunt, adſtrictoriam intẽdunt: ſunt enim ambo duplici hac facultate prædita. Sic balanus myrepſica cum ſit vomitoria ſimul & deiectoria, per aſſationem excoquitur humiditas eius excremẽtoſa & nitroſa, ad nauſeam vẽtriculum cogens: remanet autem virtus deiectoria.

Tertius modus correctionis medicamentorum ſimplicium purgantium, videlicet Lotio.

CAP. XVI.

LOtio corrigit purgans medicamentum quadrifariam. Principio acrimoniam eorum ſuperficiariam auferendo: vt ex aqua aut muccagine Tragacanthi lotum ſemen vrticæ, guttur & partes alias, quas permeat vrere deſinit: ſal item Naphthicus aqua cucurbitæ aut ſimili lotus fit clementior. *Lotionis quadruplex commoditas* I

Hinc, facultatem eorum maligniorem auferẽdo, ſalubriorem vero relinquẽdo, vt lapis cyanus & Armenus, moleſte vomitoria & deiectoria, per lotionẽ multam vomitoria eſſe deſinunt, tantum clementer fiunt deiectoria: Et cãcamum lotum clementius purgat, tamen obſtructiones vt illotum liberat: Et aloe lota potentius roborat partes nutritorias, minus aluum ſubducit: illota contra. II

Tertio, facultatem eorum valentiorem efficiendo, vt aloe ex aqua aromatum lota potẽtius roborat: Ex decocto autem valenter purgantiũ vt agarici, turbith, & ſimiliũ, ſi lauetur III

purgantior euadit Lota denique ex aqua bdellii aut tragacanthæ, ora venarum ſic aperire, vt ſanguis inde effluat,
IV. deſinit. Poſtremo corrigit lotio malitiam medicamenti purgantis, partes impuras auferendo.

Quæ non ſint lauanda

Quibus autẽ medicamentis virtus in ſupficie eſt, vt intybo, cichorio agreſti, roſis, idq; genus, horũ virtus lotione diſſipatur, ob id lauanda non ſunt: Cætera magis & minus, prout virtus illorum ferre poteſt, lauentur.

Quartus modus correctionis medicamentorum ſimplicium purgantium, videlicet Infuſio.

Cap. XVII.

Infuſionis quatuor commoditates.

Medicamẽtorũ ſimplicium purgãtium malitiam corrigit quoque infuſio. Eſt autem eius commoditas quadruplex. Principio maleficam naturam auferẽdo: Sic granum gnidium
I. & eſula aceto macerata, acrimoniam ſuperficiariam ſerrantem amittunt: Et turbith lacti recens mulcto infuſum & ſiccatum, ventrem turbare deſinit. Se-
II cundo, Bonam naturam medicamenti augendo: Sic turbith ſucco cucumeris agreſtis

agreſtis maceratum, materiā craſſam a partibus remotis valenti... reducit: Et hermodactylus aceto ſcillitico, aut ſcillæ ſucco aut raphani infuſus, a iunctúris potenter trahit: Et agaricus oxymelite maceratus fit purgantior. Tertio, naturam medicameti in liquorem cui infunduntur trāsferendo: vt liquor cui infuſa ſit aloe, aloes virtutem adipiſcitur, & in aliis ſimiliter. Facimus autem hoc tribus potiſſimum de cauſſis: primum, vt medicamenti virtus ad partes remotas promtius penetret: vt cum decoctum aromatum, cui infuſa ſit aloe, propinatur; Dehinc, vt virtus illa mitior fiat, vt dum ſcammonium panno ligatum incoquitur ſyrupo, vel ſapæ, vel alii ſucco: Adhæc, vt facultas vna ſeparetur ab altera, vt rheubarbarū & myrobalani infuſa, virtutem deiectoriam liquori tranſmittunt, adſtrictoriam retinent. Quarto, medicamentum purgans infunditur, vt noua, velut lubrica natura ei indatur: Sic medulla colocynthinis muccagine tragacāthi imbuta, ventriculi villis adhærere deſi-

III

IV

nit, cito permeat, nec ſedi, nec veſicæ nocet : Sic ſcammonium oleo violato infuſum, & ſimilia. Nec tamē medicamentorum omnium virtus ſola in eū liquorē, cui infunditur, ſola trāſit: ſed quorundam, vt caſſiæ fiſtulæ, Tamarindorum, & ſimilium aliqua quoque ſubſtantia.

Porro obſeruādum eſt in infuſionibus purgatoriis vt ſemper medicamētis purgantibus adiiciantur, quæ vehementiam eorū retundere poſſunt: quæ qualia ſint dicetur peculiari capite de ſimplicium purgantium vſu & doſi. Item videndum quanto tempore ſint macerāda, interdum enim duodecim horas, ſæpe diem & noctem macerantur, ac deinde colo exprimuntur fortiter, additis ſyrupis, aut aliis, quæ grata ea faciant. Eſt etiam cum vice infuſionis in iuſculo aliquo eadem nodulo ligata coquuntur. Sunt autē hæc potiſſimum quæ infunduntur ſimplicia purgantia.

Agaricum. Doſis eſt ad ʒ. ſ.

Senna. Doſis, ad ʒ. vj.

Rhabarb. ad ʒ. iiij. v. aut vj.
Turbith. ʒ. j.
Scammonium ℈. ß.
Hermodactylus.
Myrobalani. ad ʒiij.
Tamarindi. ʒij.
Pſyllium. ℥j.
Fumus terræ. ℥j.
Aloe. ʒij.
Polypodium. ʒij
Epithymum. ℈ v. vel ʒij.
Elleborus niger. ℈iij.
Armenius lapis. ℈iiij.

Eſt autem infuſorum horum maior quãtitas, quam alias, cum per ſe ſumũtur: per ſe enim non tanta quantitate, quanta hic eſt præſcripta in infuſis, dari poſſunt. Diuitibus autem potiſſimũ & delicatis exhibentur, eo quod purgatrices huiuſmodi potiones gratiores ſunt, quam ipſa ſolidorum ſubſtantia, quodque citius liquida diſtribuuntur quam craſſa.

Quintus & vltimus modus correctionis medicamentorũ ſimplicium purgantium, videlicet, Tritura.

CAP. XVIII.

ti eſſentia craſſior, tãto largiore tritura indiget, quãto tenuior, tanto parciore. Sic Rhabarbarũ purius & grauius eſt melius, ideõq; ꝓbe tritũ fortius euadit: q vero rarũ & laxũ eſt, idẽ eſt peius, & ideo largius tritũ omnem ꝓpe purgatricẽ vim amittit. Et hactenus de modis correctionis medicamẽtorũ ſimpliciũ dictũ ſit: q pleraq; ex Meſues libr. I. a Ioanne Ruellio cõuerſo deſumſimus.

De Medicamentorum ſimplicium purgantium vſu, correctione, & doſi.

CAP. XIX.

Purgantia ſimplicia, alia ſunt Clemẽtiora, alia Valentiora.

Clementiora 28. { *Aloe, abſinthiũ, adianthum, aqua lactis, bdelliũ, caſſia, cnicus, eupatoriũ, epithymus, fumaria, hyſſopus, ius gallorum, lupulus, mãna, myrobalani, mercurialis, pruna, pſylliũ, polypodiũ, roſa, rhabarbarum, ſtœchas, tamarindi, thymus, viola, ſtyrax, ſcordiũ, ſquama æris*

Valentiora 29 { *1. Agaricus, 2. aſarũ, 3. ariſtolochia, 4. armenus lapis. 5. bryonia, 6. balanus myrepſica, 7. cyclaminus, 8. cucu. agreſt, 9. colocy, 10. cẽtauriũ, 11. coccũ gnidiũ, & thymelæa ſeu mezereon, 12. cyanus lapis, 13. dracũculus & arus, 14. elleborus, 15. eſula, 16. euphorbiũ, 17. geniſta, 18, hermodactylus, 19. iris 20. nitrũ, 21. opopanax, 22. ricinus, 23. ſcilla: 24. ſcammonium, 25. ſagapenum, 26. ſarcocolla: 27, ſenna, 28, ſalis genera. 29 turbith.*

De ſimplicibus purgantibus clementioribus.

CAP. XX.

ALOE. I.

Vires ALoe optima quæ ſucco citrina dicitur. Educit pituitam & flauam bilem ex capite & ventriculo ſine moleſtia: Iuuat item & confortat ventriculum. Prodeſt maxime iis, qui ob exhalationes frequentes ex ventriculo capitis moleſtia afficiuntur, quiq; oculorũ ſuffuſionibus eadem de cauſſa laborãt.
Correctio Correctione magnopere non indiget. Sunt tamen correctoria eius lotio in
Dosis diſſolutione bdellii & tragacanthi. Doſis, ʒij ex aqua mulſa.

ABSINTHIVM. II.

Vires ABſinthium euacuat bilem flauam ex ventriculo, inteſtinis & epate: venas item ab cholerico & ſeroſo humore mundificat. Correctione non eget. Suſtinet decoctionem mediocrẽ. Doſis decocti aut infuſi eſt ab ℥v. ad viij. pulueris vero a ʒij. ad iij. Succi, a ℥iij. ad iiij. Succus autem in medio vere exprimitur, & in ſole vel cinere calido

do in vaſe vitreato ſiccatur, ſicut Aloe.

ADIANTHVM. III.

ADianthum album ſeu capillus veneris, flauam bilem & pituitam ex ventre toto & epate educit: humoreſque craſſos, quamuis imbibitos, ex thorace & pulmone ſcreatu expurgat, obſtructiones hepatis & lienis tollit, ſanguinem mundificat. Confortatur virtus eius debilis additis violis, Caſſia fiſtula, manna, ſero lactis. Suſtinet autem paruam decoctionem. Doſis potionis decocti ipſorum ad aluum ſubducendam eſt libra vna. *Vire* *Corr.* *Doſis*

AQVA LACTIS SEV ſerum lactis. IV.

SErum lactis calid. eſt & ſiccũ gradu primo, vſque ad ſecundum. Lauat, tenuat, nitroſa ſua ſubſtantia aperit, terget, purgat clementer & ſine morſu bilem flauam & humores vſtos. Ob hæc maniæ, melancholiæ, impetigini, prurituі, lepræ, vlceribus malignis, & cæteris cutis vitiis, morbis omnibus obſtructiones ſequentibus, vt hydropi, ictero *Vires*

febribus a bile putridis, lienis tumori, opitulatur. Corrigitur imbecillitas

Correctio eius cum melle & lupuli germinibus: Item cum myrobolanis, fumaria, aliiſque, quæ humori peccanti reſpondet.

Doſis Doſis eius eſt ab ℥vj. ad lib. j.

BDELLIVM, V.

Vires Bdellium pellucidum & flauum pituitam euacuat. *Corr.* Datur tritum cum aqua mulſa. *Doſis* Doſis eius ʒij.

CASSIA FISTVLA. VI.

Vires Caſſia nigra ſeu fiſtula, incandeſcentem torridamque bilem citra moleſtiam expurgat. Datur iis, qui ob teneram imperfectamque ætatem, vel alia de cauſſa, deiicientia aluū medicamēta ſumere reſpuunt. Pituitam etiam mediocriter educit. Datur item neceſſitate vrgēte vterum ferentibus, & iis, quibus exſuperans febris reliquorum medicamentorum vſum aſpernatur.

Corr. Datur cum aqua lactis. *Doſis.* Doſis eius ℥j. plus minuſue, pro ſumentis habitu.

CNICVS VII.

Cnici

CNici ſeu cartami ſemen pituitam expurgat, ſed non ſine moleſtia. Datur autem tritum ſemen ex iure decocti Gallinacei, aut cremore ptiſanæ Doſis ſeminis, ʒiij. *Vires* *Corr.* *Doſis.*

EVPATORIVM. VIII.

EVpatorium bilem flauam & pituitā leniter educit, prodeſt in omnibus oppilationibus. In febribus item diuturnis. Confortat omnia interiora viſcera. Confortatur virtus eius cum ſero lactis, ex quo propinatur. Doſis decocti eius ab ℥iiij. ad vj. Pulueris a ʒij. ad ij. *Vires* *Correctio* *Doſis.*

EPITHYMVM. IX.

EPithymum atram bilem euocat. Vitiis flatu turgentibus, & hypochōdriorum noxis opitulatur, quibuſque iecur aggrauatur, & qui ſpirandi difficultate vexantur. Correctio eius eſt paſſum, vel acetum mulſum, cum ſalis pauxillo. Doſis eius in adultis ℈. v. aut ʒij. ex dicto liquore, tuſum prius & excuſſum. *Vires.* *Correctio*

FVMARIA, X.

Vir. FVmaria biliofos & aduſtos humores educit : ſanguinem item clarum & & purũ efficit;prodeſt ob id mire morbis omnibus qui hos humores ſequuntur,vt lepræ,ſcabei,pruritui, impetigini,ſerpigini,& cutis reliquis vitiis. Obſtructiones aperit, & morbos inde natos ſanat,velut febres bilioſas putridas,

Cor. Virtus eius debilis corrigitur cum myrobalanis, ſena, ſero lactis, vuis paſſis ſine ſeminibus, & melle ex vuis paſſis.

Doſ. Doſis decocti eſt ℥x. ad vſq; xv. pulueris ʒiij.ad v.ſucci ℥ß.ad ij.ſuccus extrahitur vt ſuccus abſinthii.

HYSSOPVS. XI.

Vir. HYſſopus pituitam craſſam & putrẽ purgat in thorace, pulmone,aliiſque reſpirationis partibus; ac extenuando, incidendo,tergẽdoque ſputum facile reddit. Cõuenit itaque pectoris vitiis & cerebri pituitoſis affectibus.

Corr. Adiuuatur imbecillitas eius cardamomo,aut iure admixto,aut ſi cum Manna, vel melle, vel vuis paſſis purgatis,

vel

vel ſcilla coquatur. Coctionem ſuſtinet mediocrem,& trituram. Doſis decocti a ℥vj.ad x. pulueris a ʒiij ad 7. *Doſis*

IVS GALLORVM. XII.

IVs gallorũ quatenus ad medicamẽta aſſumitur,debet eſſe de gallo antiquo,rufo,ad motum alacri, ad coitum ardente, ad dimicandum forti,medio inter obeſum & macrum, nutrito furfure,vel etiam melle & pauco ſale, plurimum a nobis fatigato, & dimicando decapitato & exenterato,cum ſale aut ſale gẽmæ igne lento, aqua ſufficiente ad duarum partium cõſumtionem cocto, admixtis aliis atque aliis pro affectus ratione. Pituitã cũ turbith & cnico ius hoc purgat,& arthriticis doloribus confert ex pituita natis. Cum epithymo & polypodio Melancholiã pellit:& cum iiſdem & thymo, hyſſopo, anetho, & ſale gẽmæ confert arthriticis. Naturã habet calidã, lauat, terget, tenuat,flatus diſſipat. Datur decoctum eius ad ℔.ij. *Corn* *Vires*

LVPVLVS. XIII.

Vires LVpulus eſt temperatus. Frigidus in principio ordinis primi. Calidus nonnullis & ſiccus in ſecundo ordine. Sanguinem bile flaua modice purgat, eũque clarum reddit,& ſedato eius calore temperat,præſertim ſero lactis infuſo.Icterum ſyrupus ex eo ſanat,febribuſq; bilioſis & ſanguineis prodeſt. *Doſis* Doſis decocti germinum eius ℥iiij. Infuſi autem in ſero lactis circiter ℔.j.

MANNA XIV.

MAnna ſeu mel aerium eadem poteſt quæ caſſia fiſtula. Datur autẽ maiore pondere, a drachmis videlicet vj.ad vſque xv.

MYROBOLANI XV.

Vires MYrobalani flaui ſeu citrini corporis æſtus refrigerãt, flauam bilem detrahunt.II.Nigri ſeu Indi bilem atrã deiiciũt,triſtitiam diſcutiunt, quartanas ſanant, lepras purgant, coloremq; corporis bonum reſtituunt.III.Cepula ſeu Chebuli pituitam detrahunt,aciem oculorum illuſtrant, pectus repurgant,coctiones iuuant,aquæ inter cutẽ

&

& longis febribus auxiliantur. IV. Empelitici ſeu Emblici proſunt neruis, & veternoſis, mẽtis aciem exacuunt, vẽtriculum purgant, cardiacis medentur ſitim ſedant, faſtidia diſcutiunt, vomitus comprimunt. V. Beletzica ſeu Bellirici, eiuſdem vere cum empeleticis ſunt naturæ, purulẽtis exſcreationibus medentur, venis ſedis ſanguinem profundẽtibus, capillorum defluuio, quos etiam dẽnigrare credũtur, ex amygdalino oleo & melle trita. Faciunt autem Myrobalani oppilationes. Vnde corriguntur per infuſionem in ſero lactis, cum ſaccharo, amygdalis dulcibus, paſſulis, ſemine aniſi. Dantur autem citrini ex ſero lactis. Nigri cum iis quæ bilem atram ducunt, & alii cum iis quæ pituitam ducunt. Doſis eſt a ʒij. ad iiij. *Corr.* *Doſis*

MERCVRIALIS XVI

Mercurialis tenera folia cocta ſi comederis, abũde ſtercus expellũt. Si vero decoctum vino mixtum biberis, moderate ſtercus educit.

PRVNA XVII.

Vires PRuna ſoluunt maxime aluum, quæ dulcia ſunt, eaque ſunt in calido & frigido temperata, aut paulo frigidiora, humida vero ordine ſecũdo. Omnia tamẽ prunorum genera lauant, leniunt, refrigerant, bilem flauam educũt: ob ꝙ bilioſis febribus & morbis ſunt ſalubria. Corrigitur imbecillitas eorũ

Corr. Tamarindis, Caſſia fiſtula, mãna, violis

Doſis. conditis. Datur autem ſuccus prunorũ ſeu decoctum earum cum ſaccharo ad ℔.j.

PSYLLIVM XVIII.

Vires PSyllium cum aqua frigida maceratum flauam bilem educit, eſtque febribus bilioſis ſalutare & thoracis inflã mationibus. Cum aceto omnis generis phlegmonas & tumores calidos exſtinguit. Muccoſa itẽ potio Pſyllii in aqua fontana frigida macerati, cum oleo violato, aut ſyrupo violato aluum ſubducit. Corrigitur, vt dictum eſt, tritum

Correctio cum aqua fontana frigida, & cum oleo violato aut ſyrupo violato. Doſis poti-

Doſis. onis eius eſt a ℥j. ad iij. Abſtinebunt autem

tem ab eo,qui imbecilla viſcera habẽt.

POLYPODIVM XIX.

POlypodii radix bilẽ & præſertim atrã,& pituitã extrahit. Corrigitur cũ odoratis,vt aniſo zingibere,garyophyllis,& cinnamo, ex iure gallinaceo,aut cremore ptiſanæ,aut aqua mulſa. Doſis radicis purgatæ ʒij.affuſa aqua mulſa,aut reliquis corrigentibus. *Vires* *Corr.* *Doſis*

ROSARVM SVCCVS. XX.

EDucit bilem flauam, & mũdificat ab ea ſanguinem venarum & arteriarum.Confert ictero,quia obſtructiones vẽtriculi aperit & expurgat. Cor, ventriculum, & epar roborat, Cordis tremorem, vacuata eius cauſa, ſanat. Febribus item bilioſis confert. Eſt autem ex leniter purgantibus: Vnde adiuuatur virtus eius ſero lactis & exigua quantitate ſpicæ,Item cum melle.Doſis ab ℥j.ad ij. *Vires* *Correctio* *Doſis.*

RHABARBARVM XXI.

RHabarbarum flauam bilem expurgat. Infrænat eius vim tertia pars *Vires*

Corr. ſpicæ nardi, vel cinnamomi, vel maſtichis, vel iunci odorati. Datur cum ſero lactis, vel decocto intybi. Maceratur quoque in iiſdem, vel inſtillatio intybi ſatiui liquore, idque æſtate: vel vino albo odorato, idque hyeme. Per ſe datur *Doſis* pondere duarum, trium, aut quatuor drachmarum. Dilutum vero & maceratum maiori pondere ſumitur, nempe iiij. v, vel vj. ʒ. aut etiam plus, pro ſumentis habitu & viribus.

STOECHAS. XXII.

STœchas tenuat, terget, purgat, reſoluit, hepatis, lienis & aliorum vi- *Vires* ſcerum obſtructiones aperit, putredinem prohibet: omnes internas partes & viſcera vi adſtringente roborat. Purgat bilẽ atram, & pituitam ex cerebro, neruis, & ſenſuũ inſtrumẽtis, eaſq; partes roborat. Omnibus frigidis affectibus eſt ſalubre, potu, lauacro, fotu. Corrigitur cum ſale gemma aut myrobalanis admixtis, item cum ſcylla: aut cum ſero lactis, aut paſſulis, quibus interiores nuclei ſunt exemti. Doſis decoctionis

onis eius eſt ab ℥v. ad vij. puluĕris autẽ a ʒiij. ad v. Abſtinebunt ab eo qui bilioſum habent ventriculum.

TAMARINDI XXIII

Tamarindi, ſeu oxyphœnicum, flauam bilem expurgant, arquatis auxiliantur, ſitim reſtinguunt. Doloribus capitis medẽtur. Noxios humores, qui in ventriculo ſuperiore coierunt, deiiciunt. Appetitiones ſedant. Inſaniam & furorem mulcent. Cum rheo & caſſia nigra tertianis febribus prorſus liberant: ardẽtibus quoque medentur. Noxas omnes a calore natas mitigant. Lædunt autem ſtomachum frigidum: Ob id corrigitur eorum nocumẽtum permiſcendis confortantibus, vt ſunt, ſpica, macis, Maſtix, ſuccus fœniculi, apii & endiuiæ. Doſis ab ℥ij. ad v. *Vires* *Correctio*

STYRAX. XXIIII

Styrax flauus, pinguis, ducit pituitã multam citra moleſtiam. Sumitur cum pari pondere terebinthinæ in pilulas coactus. Doſis an. ʒij. hoc eſt, Styracis ʒij. & terebinthinæ ʒij.

SCORDIVM XXV.

SCordium tenuiſſime tritum pituitã ducit. Datur ex aqua mulſa. Doſis ʒij.

SQVAMA ÆRIS XXVI.

SQuama æris aquam purgat, & pituitam quoque. Datur ex aqua mulſa. Doſis ʒjß.

THYMVS XXVII.

Vires THymus nonnullis hyſſopus hortẽſis, calidus & ſiccus eſt in receſſu ſecundo, aut potius in tertio cum Gale. Calfacit, tenuat, incidit, reſoluit, obſtructa aperit. flatus etiam craſſos diſſipat. Pituitam clementer educit: nec non melancholiam, ſed imbecilliter, & cum ſale gemmeo vel Indo. Pituitam vero etiam craſſam & lentam potiſſimum a thoracis partibus & cerebro euocat: Mire igitur confert frigidis & pituitoſis neruorum affectibus, nec non a frigore dolenti pulmoni. Obtunditur vehemens eius caliditas aliorum admixtione, vt ſunt

vuæ

vuæ paſſæ ſimul decoctæ, aut ſi aceto infundatur, ſiue mulſæ cum pauco ſale gemmeo. Septem drachmæ mannæ in decocto eius diſſolutæ, clementer & quantum ſatis eſt ſubducunt. Coctionem & trituram mediocrē ſuffert. Datur decoctum a ʒv. ad x. puluis autem a ʒij ad iiij. *Doſis*

VIOLÆ NIGRÆ XXVIII.

VIola recēs eſt frigida, humida ordine primo: Siccata v. minus tū frigida tū humida. Refrigerat autē viola recēs, narcoticorū modo dolores calidos ſedat: inflammationes omnes exſtinguit: aſperam arteriam & thoracem lenit: Flauam bilem purgat, & ab ea calorem exſtinguit: Cephalalgiæ, & omnibus morbis a calida cauſſa confert, vt pleuritidi, ſynāchæ, epati, ictero, febribus, ſiti. Virtutis per ſe ſunt debilis, vnde a quibuſdam parti violarum dimimidium turbith, ab aliis ſcammonium additur, & finguntur trochiſci, adduntur que oleum violatum & violæ. Exiguam decoctionem ſuſtinent. Datur *Vires* *Corr.*

decocti potio ab ℥iiij. ad viij. Succus ab℥j. ad ij. Syrupus ab ℥ij, ad iiij. Conditũ ab ℥j ad iij.

De ſimplicibus purgantibus valentioribus.

Cap. XXI.

AGARICVS I.

Vir. PItuitam & bilem, ſed non celeriter pellit. Ventriculo aduerſatur, quod *Cor.* leuitate ſua emergens enatet. Inſtenatur eius malitia, adiecta tertia parte *Doſ.* zingiberis, aut ſalis foſſilis, quem gemmæ vocant. Dantur ℥ii. cum aqua mulſa vel oxymelite. Macerati pondus ad ſummum ʒv.

ASARVM II.

Vir. ASarum purgat vomitu, & deiectione, & vrinis bilem, ſed pituitam manifeſtius, etiam ex iliis, coxis & articulis. Ob id partium dolores mitigat, præſertim infuſum vel aliter exhibitũ. *Corr.* Cõfortant eius vires ſerum lactis, ſpica, & hydromeli. Hydropi muſtum, in quo radices eius ſunt conditæ, poſt tertium menſem prodeſt. Mediocrem coctionem

nem & tritutam admittit. Doſis infuſionis eius ab aureis ij. ad ʒ.iiij. Pulueris autem ʒj. ad aureos ij. *Doſ.*

ARISTOLOCHIA III.

ARiſtolochiæ omnes calidæ ſunt in principio tertii ordinis, ſiccæ in ſecundo. Efficacior ad omnia eſt rotunda. Pituitam purgat, & quorundam ſententia etiam bilem: thoracem quoque & pulmones a pituita etiam putri expurgat inſigniter. Cerebrum item expurgat, & epilepſiæ confert: Stomachũ iuuat. Vterum a partu expurgat, mẽſes mouet, abortum facit, purgando non nocet, ſed viſceribus cõfert, vnde correctione non eget. Poterit tamen inſtar dracunculi corrigi. Datur a ʒj. ad aur. j. *Vires* *Corr.* *Doſ.*

ARMENIVS LAPIS IV.

ATram bilem & omnẽ lentum craſſumque humorem ſanguini commixtum educit. Datur itaque melancholicis, elephanticis, & ſimilibus: nec non renum vitiis, & in ſpirãdi difficultate, abſq; periculo & moleſtia. Corri- *Vir.*

gitur per lotionē. Lauatur autē ſicut lapis cyaneus. Doſis non loti ʒ iiij. plus minuſue: Loti autem a ʒj. ad ij.

BRYONIA V.

BRyoniæ vtriuſque radix, & præcipue ſuccus, a pituita, etiam putri, cerebrū, neruos, partes reſpiratorias purgat, obſtructiones viſcerum, renum, a-
Corr. perit, vrinas mouet. Corrigitur cum rob, aut melle paſſularum & ſpeciebus aloephāginis, item cum maſtiche. Do-
Doſis ſis decoctionis radicis ab aureo vno ad duos: ſucci autem a ʒj. ad ij.

BALANVS MYREPSICA ſiue Ben. VI

Vires BAlanus Myrepſica, id eſt, Glans vnguētaria, Arab. Ben. & granum ben. pituitā craſſam & lētam vomitu & deiectione purgat. Confert itaque colico affectui pituitoſo & flatulento, ſumta balano vel clyſtere iniecta, vel cataplaſmate ex ipſius medulla, hordei farina, & melle facto & impoſito. Confert item neruorum frigidis affectibus,
Correctio ſpaſmo, tetano, contractioni. Corrigitur

tur in coquendo adiecto ſemine aniſi & fœniculi. Ex huius autem ita cocti medulla cum dimidio pondere amygdalarũ dulcium, & melle vuarum paſſarum, formæ fiũt auellanarum effigie. Ipſi autem fructus integri, vel potius horum medullæ, multum tritæ aromatibus aliquibus, vel aniſi & fœniculi ſemine adiecto, inuoluuntur papyro & maza poſt coquũtur ſub cinere calido. Doſis eius eſt a ʒß. ad ʒjß. *Doſis*

CYCLAMINVS VII.

CYclaminus cal. & ſiccus eſt initio tertii ordinis. Pituitam lentam & craſſam, ſumtus, & ſuppoſitus, atque adeo fœmori, iliis, & vicinis partibus illitus expurgat. Obſtructiones viſcerũ, & maxime ſplenis, ex oxymelite aperit. Corrigitur vt dracunculus & Bryonia. Succi huius ʒiiij. cum ſaccharo ſolutas, & ad tertiã decoctas, mane ſumtas icterum ſanare, certiſſimum & expertiſſimum affirmat filius Serapionis. Suſtinet coctionem ſufficientẽ. Doſis potiſſimũ ſucci eius eſt ab aur. ij. ad iiij. *Vires* *Correctio* *Doſis*

CVCVMER AGRESTIS, ET elaterium. VIII.

Vir. CVcumer agreſtis cal. eſt & ſiccus ordine tertio. Succus eius elateriũ dicitur, vtriſq; eadem facultas. Purgat potenter pituitam, vomitu & deiectione, & interdum bilem, ſi vacuari parata eſt: Seroſum quoque excremẽtum, etiam euulſu contumax, etiam a iuncturis, mirifice trahit, præſertim ſucco & *Correctio* radice: Ob id earum dolores ſanat. Nocumentũ ſucci corrigitur addito bdellio vel tragacantho, vel lacte dulci recenter mulcto, aut mulſa & ſale. Promtius autem purgat cum pauco ſale gẽmæ & aromatibus. Sin noxa ab ſucco corpori impreſſa fuerit, deletur aqua *Doſis* hordei, mulſa, vino, vel oleo. Doſis ſucci eſt a granis x. ad ℈. j. ß. cum lacte recens mulcto. Pulueris vero radicis, a granis xv. ad ʒ ß. Decocti, ab ℥ ij. ad iiij.

COLOCYNTHIS IX.

Vires COlocynthis pituitam, bilem, humoremque mucoſum purgat. Vnde neruoſa corpora peculiariter purgat

gat

gat. Datur cõuenienter in omnibus capitis incommodis, orthopnœa, & ſimibus, coxendicum cruciatibus, morbis articularibus, longis renum & veſicæ valetudinibus. Iis item qui renitentes & præduros conceperunt affectus, ſic *Correctio* vt non niſi ægre poſſint excuti. Infrenatur vis eius cum Maſtiche & Galla. Da- *Doſis* tur ℈j. cum aqua mulſa.

CENTAVRIVM MINVS X

Calefacit & ſiccat ordine ſecundo, *Vires* purgat pituitam crudam, & bilem flauam, & materias alias, etiam a neruis & iuncturis, & hæc tarde: ob quod harum partium adfectibus confert. Promtius & clemẽtius purgat cũ mul- *Corr.* ſa, vel oxymelite, & ſale pauco, vel decocto ameos mellito, & ſalem gemmæ habenti. Maſtiche autem addita venas ab eo aperiri prohibet. Coctio- *Doſis* nem & trituram perfectam ſuſtinet. Doſis eius eſt a tertia parte vnciæ vnius, hoc eſt, a ℈ viij ad ℥jß. Decocti autẽ ab ℥j. ad iij.

COCCVM GNIDIVM SEV thymelæa & mezereon XI,

Vires COccum gnidium fructus eſt plantæ quæ thymelæa Dioſcoridi dicitur, & arabibus Mezereon. Calida eſt plãta & ſicca, pariter cũ fructu, ordine quarto. Vis iis valenter acris, ignea, vlcerãs, mordens, inflammans, cõſumens, virtutes diſſoluens. Aquas ſeroſas valenter purgat, ob quod, grana eius numero viginti veteres aduerſus hydropem dederunt. Melancholiam quoque purgat ſi melanagoga miſceãtur: pituitam, ſi phlegmagoga: bilem flauam, ſi chola goga, vt abſinthium duplum, aut myrobalani: Lumbricos & animalia alia interna necat. *Corr.* Sed Hepati & cæteris partibus nutritoriis nocet: quod nocumentum corrigitur contrariis, acrimoniam & calorem flammeum obtundẽtibus, qualia ſunt, olea frigida & adſtringẽtia: muccago pſyllii, ſuccus portulacæ, & magis intybi, halicacabi, aut ſolani humidi, aut ſonchi aut aqua oxyacãthæ, myrobalani quoq; : abſinthium duplum, acetum item, ſi diei ſpatio in eo maceretur. *Doſis* Doſis decoctionis eſt a ʒß. ad ʒj. Pulueris autem a ſiliquis duabus ad v.

CYANEVS LAPIS XII.

CYaneus lapis, vulgo Stellatus, & Lazuli cæruleus. Calfacit ordine ſecũdo, ſiccat tertio. Acer eſt cum pauca ſtipticitate. Purgat Melancholiam, & vſtos humores, hiſque venas ſanguinẽque expurgat. Ob id affectibus melancholicis magnopere cõfert. A lepra etiam præſeruat. Menſes ſuppoſitos educit. Noxa eius corrigitur lotione, hoc modo. Tricus lauetur aqua dulci, tricies mutata, vt ei vis quædam mira ad affectus melancholicos acquiratur. Nõnulli eius loti ℥viij miſcuerũt vni libræ confectionum lætificantium, & dederunt cum ſucco buglosſi depurato, & & vino tenui antiquo contra cordis affectus melancholicos, miro effectu. Datur a ℥i. ad ℥ij. ß. *Vir.* *Correctio*

DRACVNCVLVS ET Arum.

DRacunculis vtriſque par eſt facultas. (Sunt autem duæ dracunculi ſpecies: altera maior, quæ dracontium maius dicitur, altera minor quæ Arum

nominatur.) Arabes Luf vocant: Dra-
Vires cunculus igitur terget, incidit, tenuat humores craſſos, & lentore hærentes aperit, penetrat: maior autem efficacior eſt minore: Pituitam craſſam & tenuem purgat, etiam a thorace & pulmonibus, ob id aſthmati & tuſſi humidæ cōfert, præſertim eclegmate ex ſucco eius & melle & ſapæ, vel data cum ouis: renes roborat, vrinas mouet, venerem excitat.
Noxa. Nocet autem vterq; Dracunculus acrimonia ſua ventriculo & hepati imbecillis, morſuque ſuo ex vicinis partibus in ventriculum, fluxionē allicit.
Corr. Priorem noxam periti prohibēt miſcendo ſapam, aut mel vuatum, & aromata: Secundam, additis ſtomachicis adſtringentibus, vt maſtiche, cydoniis: Trochiſcis quoque diarrhodon poſt dracunculum ſumtis.
Doſis. Doſis a ℥j. ad ℥ijß.

ELLEBORVS. XIV.

Vires Elleborus niger flauam bilem e toto corpore trahit deorſum, nec tamen citra vllam difficultatem pellit.

Datur

Datur itaq; febribus circuitu repẽtibus & longis. Item inſaniẽtibus, Hemicrania laborantibus. Ad viſcerum quoque vteri & veſicæ purgationem. Maxima vis eius peculiariter educere quidquid ſanguini commixtum eum corrũpit. Ideoque veteraſcẽtibus arquatis morbis vtilis, & quibus in ſuperficie ſummatim aſperitudines emerſerũt, velut lepris, impetiginibus, idque genus. Elephantia quoque laborantibus eſt vtilis. Miſcentur autem ſuauitatis gratia quædam ex odoratis ſeminibus, vt aniſum, fœniculum. Datur ex paſſo aut aceto mulſo. Doſis eius ℥j, aut paulo plus, minuſue, pro ſumentis habitu. *Correctio* *Doſis*

ESVLA XV

Esulæ ſeu tithymali, pituitam & bilem educunt. Virentes autem illorũ ramuli, fictili paulatim torrendi ſunt tritique cum polenta ℈iij. pondere miſcendi in aqua, & in potu præbendi. Admiſcenda etiam quædam ex odoratis, vt aniſum, maſtiche, ſpica nardi. *Vires* *Correctio* *Doſis.*

EVPHORBIVM XVI.

Vires EVphorbiũ pituitam ſubducit, ſed potius aquam. Eſt autem celerrimum, & maxime ignea vi flagrans, vnde colicis & aluum frigidiorem habentibus datur, cæteros vehementer *Corr.* conturbat, Sitim maxime ciet. Commiſcetur nonnihil ex odoratis ſeminibus, aniſo, maſtiche, ſpica nardi. Datur ex aqua mulſa. Præſtat autem cum melle cocto in catapotia digerere. *Doſis* Doſis eius trioboli põdere. Hodie intra grana xij. conſiſtunt.

GENISTA, SPARTVM XVII.

GEniſta ſeu ſpartum pituitam & ma*Vir.* teriam a iuncturis violenter purgat vomitu & deiectione. Renes omnibus excrementis perpurgat, vrinas valenter mouet. Calculũ frangit in renibus, atque adeo in veſica, nec in his materias figi, ac in calculum dureſcere ſinit. Nocet autem ſtomacho & cordi: ob id cum melle roſato ſumitur, item *Corr,* cum roſis & maſtiche. Semen vero cũ aqua mellis roſati ſumendum eſt: aniſum quoque & fœniculum, & dauci ſe men

men,eius noxas caſtigant. Flos exiguā decoctionem ſuſtinet: ſemen largiorē. Datur,præſertim flore, a ʒ.ji.ad.ʒv.Se- *Doſ.* mine autem a ʒij. ad iiij.

HERMODACTYLVS XVIII

HErmodactylus hic intelligitur nequaquam is,qui in pratis paſſim naſcitur venenatus,qui alias colchicō dicitur: ſed quē Actuarius & Paulus priuatim deſcribunt. Alui deiectionē mo *Vires* litur,& valet peculiariter in articulorū doloribus,cum humores defluunt.Sto *Corr.* macho autem plurimum aduerſatur, vnde adduntur infrænantia, velut cinnamomum,maſtiche, zingiber, aut piper lōgum. Datur cum oxymelite Scil- *Doſ.* litico,aut melle roſaceo ʒj.pōdere,plus minuſue.

IRIS XIX.

IRidis radix eſt calida, ſicca, ordine *Vires* tertio ,acris, terget, coquit, reſoluit, lenit,aperit obſtructa,ſedat dolores:Pituitam craſſam & miſtā illi bilem purgat,ac præter hæc aquas ſeroſas, idque clementer.Materiam craſſam,lentam

hærentem in thorace ac pulmone coquit, tenuat, ac promte educit, viſceraque omnia expurgat. Hepatis quoque ac lienis, ac vicinarum partium tollit

Corr. obſtructiones. Ne ventriculum lædat, ſumatur ex mulſa & pauca ſpica, vel cũ ſero lactis, melle, maſtiche. Ad affectus autem thoracis & pulmonis, cum ſapa. Trituram & coctionẽ ſuſtinet medio-

Doſis. crem. Doſis eius eſt a ℥ij. ad ℥vj.

NITRVM XX.

Viresſ NItrum calidum eſt initio tertii gradus, ſiccum tertio: ſalſum maxima ſui parte ſubadſtringens, terget, ſiccat, incidit. Humores craſſos purgat etiam vomitu, præſertim cum melle pituitã crudam, craſſam, lentam, partibus valẽ ter impactam: Ob id colico adfectui pituitoſo & flatulento prodeſt: vermes

Corr. necat, & vacuat. Vſurpatur cum melle & aliis ſumtum, vel balano ſuppoſitũ, vel clyſtere iniectũ, p̃ſertim ex rutæ decocto & oleo rutaceo. Per ſe autem nõ vſurpatur, ſed aliis miſcetur: Medicamentorum n. baſis nõ eſt, ſicut nec ſal.

OPOPANAX XXI.

OPopanax calidum & ſiccum eſt or- *Vires* dine tertio: Planta vero eius ordine ſecundo. Terget, digerit, tenuat, flatus craſſos diſſipat, lenit, expurgat. Pituitam craſſam & lentam clam a remotis partibus, cerebro, neruis, ſenſoriis, iuncturis, thorace, purgat. Prodeſt igitur harum partiũ affectibus frigidis, inde- *Corr.* natis. Stomacho autem nocet, ſitim excitat, & tarde purgat: ob quod corrigitur vt Sagapenum. Datur a ℥j. ad ij.

RICINVS SEV LATHYRIS XXII

RIcinus alias Lathyris, & Cataputia. *Vires* Pituitam vehemẽter purgat, ac interdum bilem, deiectione & vomitu: materias quoque & aquam ſeroſam a iuncturis attrahit. Corrigitur vt Bala- *Cor.* nus myrepſica. Dantur grana eius maiora quidem xv. minora vero xx. In iure *Doſ.* galli antiqui colico dolori & iũcturarũ cõfert. Hydropicis in aqua caſei cocta vtiliter dãtur: aut mulgetur ſup ea lac caprinum & colatum bibitur.

SCILLA XXIII.

Vires SCilla calida eſt ordine tertio, & ſicca prope tertium. Humores craſſos, & lentos, & bilem atram incidendo, tenuando, tergendo, vt promtius expellãtur, apparat, & maximè oxymeli ſcilliticum, & eoſdem purgat. *Corr.* Aſſata facilius ſoluit: immiſſa autem aceto, humores craſſos, lentos, altius merſos expelli promtos reddit: Laminæ autem ipſius mazæ ſeparatim inuolutæ ſub cinere calido, quãtum ſufficit coquuntur, exſoluuntur, & in vſum aſſumũtur, membranæ ſeu pergameno incluſæ. Coctionẽ ſuſtinet ſcilla mediocrẽ. *Doſis* Doſis potionis eſt a ʒv. ad xij. oxymelitis ab aureis vj. ad ℥iij. Trochiſcorum ſcilliticorum a ʒij. ad iiij.

SCAMMONIVM ET DIAgrydion XXIV.

Vir. SCammonium flauam bilem euocat, ſed cordis dolorem mouet. Datur iis qui febre vacant, & qui ſtomacho bene valent, quibuſque vomitus ægre elicitur, nec animo facile linquuntur.

Cor-

Corrigitur noxa eius additis,quæ gra- *Corr.*
tum odorem ſpirant,& ſtomachum ro
borant,vt aniſum,maſtiche.Datur per
ſe ex melle vel ptiſanæ cremore ℈ij.
plus minuſue.

Præparatum vero ſcammonium, ꝙ
Dacrydion,& vulgo diagridiō dicitur,
tanta quantitate quanta ſcammonium
per ſe dari non poteſt, Conſiſtendum *Doſis dia*
enim intra 12.grana,ac vt plurimum vl- *gridii*
tra quinque aut ſex grana non datur.
Viribus alias eſt iiſdem cum ſcāmonio
ſed multo ſubtilius & tenuiorum parti
um ob præparationem, vnde quātita-
te minori oportet ſumere.

SAGAPENVM XXV.

CAlidum eſt ordine tertio, ſiccū ſe-
cundo, amarum, & porri modo a-
cre:ſubſtātiæ tenuis, & igneæ plus quā
terreæ. Purgat pituitam craſſam & ali-
os humores lentos,& aquas,a ventricu
lo, inteſtinis, cerebro,neruis, thorace,
pulmone, iuncturis, etiam longinquis
& profundis. Morbis itaque harum
partium & aliarum frigidis, quouis

modo vſurpatum, opitulatur. Cum du-
Corr. plo myrobalanorum citrearum in hy-
drope aquas ſeroſas mire extrahit. No-
cet ventriculo & epati, ꝗ malum cor-
rigitur additis ſtypticis, maſtiche, ſpica
Doſis & ſimilibus. Trochiſci de ſagapeno ad
eadem conferunt. Doſis a ʒß. ad ʒj.

SARCOCOLLA XXVI.

Vires SArcocolla calfacit ordine ſecundo, ſiccat minus, coquit, terget, aperit, digerit: carne implet, glutinat. Purgat pituitam crudã & humores altos craſſos, præcipue a cerebro, neruis, iuncturis, vt iſchio, pulmonibus. Ob id ſenibus pituitoſis, aſthmaticis tuſſientibus ꝓdeſt, ſed caluitiũ accerſit, corpus impinguat, & ſperma auget. *Corr.* Corrigitur zingibere & cardamomo, & valentius agit. Nocet autẽ ventriculo calido & *Doſis* bilioſo, ob id vitanda eſt iis qui bile amara ſunt præditi. Doſis eius eſt a ʒj. ad ʒij.

SENNA XXVII.

SEnna pituitam & bilem citra noxã trahit, reliquos humores modeſtiſſime

me purgat: Retorridam atramque bilem, earumque ſuffuſiones ex iure gallinaceo depellit. Vetuſto capitis dolori, ſcabiei, comitialibus, impetigini, ſuccurrit. Datur autem decoctum potius eius quam puluis. Doſis decocti eſt ℥ß. *Doſis* pulueris vero ʒj.

SALIS GENERA XXVIII.

SAl eſt calidus & ſiccus ordine ſecũdo, & quo eſt amarior, eo calidior & *Vires* ſiccior: Liquat, incidit, tenuat, mordet, purgat, denſat, adſtringit, ſiccat a putredine vindicat: ventriculum euertit, turbat, ad vomitum incitat. Purgat humores craſſos, lentos, ipſos vi ſua liquando, poſtea ſtringendo.

Sal vero panis dictus purgat clementiſ *Sal panis* ſime, appetentiam excitat, profligato cibi faſtidio: purgantibus additus, actionem eorum iuuat. Clyſtere iniectus pituitam vitream & lẽtam educit.

Sal gemmæ pituitam quoque vi- *Sal gēma* tream educit, & humores alios euelli difficiles, ſenſoria expurgat, vertiginem iuuat, præſertim cum agarico

& tribus myrobalanis, terget thoracẽ, vẽtriculum expurgat, & dolorem eius ſoluit: dentifritio quoque eſt aptus.

Sal na phthicus & ſal indus

Sal napththicus & ſal indus ſunt aliis ad omnia valentiores, & ambo melancholiam valenter educunt. & pituitam corpuſque a putredine præſeruant, & a lepra cæteriſque affectibus melancholicis.

Corr

Salis autem acrimoniam & morſum præter cætera tollunt myrobalani & cætera adſtringentia, & etiam inſipida. Porro ſal vt alimentum non eſt, ſed vt condimentum, vnde purgatoria baſis non eſt, nec per ſe vſurpatur, ſed aliis miſtus vigorem addit, ac ſtimulos omnibus medicamentis tarde & imbecilliter purgantibus. Miſcetur autem in catapotia, confectiones, enemata, collyria, cæteraſque remediorũ formas.

TVRPETHVM SEV TVRbith. XXIX.

TVrbith pituitam glutinoſam purgat, longis morbis medetur, quos frigus

frigus vel atra bilis, attulerit. Item atto nitis, comitialibus, inſaniæ & furori. Corrigitur eius vehementia tertia parte zingiberis. Datur cum melle roſaceo, vel paſſularum decocto. Doſis eius ʒj. plus minuſue. *Corr.* *Doſis*

Finis medicamentorum ſimplicium purgantium, Clementiorum & valentiorum, quæ omnia numero ſunt 57.

LIBER SECVNDVS, DE METHODO COMPONENDI PVRGANTIA MEDICAMENTA, & de ſpeciali ſingulorum humorum euacuatione.

Methodus componendi medicamenta purgantia.

CAP. I.

METHODVS componendi purgantia medicaměta eſt duplex: Aut enim ex ſolis ſimplicibus purgationem componimus: Aut compoſitas medicinas inter ſe miſcemus: De vtriſque ordine dicetur.

Quæ in vniuscuiusque medicamenti purgantis compoſitione veniant conſideranda.

CAP. II.

In affectu quæ conſideranda

I. Humor peccans

SVnt autem duo in omni purgante compoſitione inprimis obſeruanda: Affectus ſcilicet & medicamentū ipſum. In affectu duo ſunt perpendenda: Principio humor peccans, hoc eſt, an peccet humor pituitoſus, bilioſus, melan-

melancholicus, vel aqueus: pro cuius ratione ſumetur medicamentum contrarium, quod humorem excedẽtem, ſeu quantitate, ſeu qualitate, educere poſſit. Velut bilem flauam educit Scãmonium: colocynthis pituitam: Polypodium, epithymum, lapis cyanus ſeu Lazuli humorem melancholicũ. Thymelæa, euphorbium, humorẽ aqueũ. Deinde locus affectus, hoc eſt, an dominetur peccans humor in cerebro, thorace, pulmone, epate, liene, ventriculo, in venis, iuncturis, aut toto corpore. Reſpiciunt enim medicamenta purgantia peculiares quoque partes corporis. Sic pituitã in capite purgat Agaricus, ſtœchas, colocynthis, idque genus alia. Flauam bilem in thorace, Mãna, caſſia fiſtula, pſyllium, & ſimilia. Melãcholicum humorem in ſplene polypodium, epithymum, ſtœchas, eupatorium, ſena, ſal Indus, & huius generis reliqua. Ad hæc ſunt etiam quædam ſimplicia quæ medicamentum purgãs proprietate ſua ad peculiarem quoq; corporis partem ducunt, & eius robur

II. Locus affectus

ibidem adiuuant, & præſtantiorem operationem efficiunt: vt nux Moſchata, pœonia, ſtœchas, balſamũ, ſpica nardi, caſtorium, maiorana, medicamentum purgans ad caput ducunt, ac ibidẽ efficaciam eius confortant. Chamædrys, fœniculum, laurus, poliũ, daucus, abſinthium, ad epar naturam medicamenti deportant. Zingiber, opos cyrenaicus, thapſia, opopanax, ſcordium, chamæpitys, amomum, ruta agreſtis, & ſimilia ad iuncturas medicamentum compellunt. Sic de aliis quoq; iudicãdum. His igitur de cauſis locus affectus ante omnia eſt obſeruandus.

In medicamento quæ conſideranda

In medicamento vero tria veniunt obſeruanda, Videlicet medicamenti qualitas ſeu vis, Correctio & Doſis.

I. *Qualitates*

Qualitatem purgantium noſſe oportet, vt ſciamus quæ quibus humoribus purgandis medicamenta ſint deſtinata: aliis enim alium humorem educendi, & alia parte corporis, eſt facultas. Cognita autem qualitate & natura medicamenti, facile erit pro humoris & loci affecti ratione conueniens medi-

eamentum deligere. Correctionem ve- II. *Correctio*
ro;vt vel imbecillitatem medicamenti
aliis admixtis iuuemus,vel violentiam
reprimamus, aut malitiã corrigamus.
Doſin tertio loco conſiderare decet, III. *Doſis*
hoc eſt, ſumendi quantitatem, ne aut
nimia doſi ægrum lædamus, aut mino-
ri quam cõueniat nihil eum iuuemus.
Hæc igitur ſi quis in componẽdis pur-
gãtibus medicamentis obſeruet, faci-
le ad quemuis affectum ſalubrem ali-
quam purgationem componere po-
terit.

Ad quid conducat commiſcere purgantia medicamenta.

CAP. III.

SImplices humores ſi a mediocrita-
te declinauerint, poſſunt purganti-
bus medicamentis ſimplicibus, immi-
xtis, correctione iuſta adhibita, euacu-
ari, velut flaua bilis ſcammonio ſeu da-
crydio.& alii humores aliis.In compo-
ſitis autem affectibus, hoc eſt, vbi non
vnus humor tantum abſolute peccat,
ſed duo vel plures, aut omnes ſimul cor
pus infeſtant, ibi pro peccantium hu-

morum diuerſitate, diuerſa quoq; medicamēta miſcēda ſunt, vt ex iis vnum aliquod cōpoſitum, quod omnibus ſatisfacere poſſit, & quod peccatum eſt, reſarcire, reſultet. Commixtio igitur medicamētorum tā ſimplicium, quam eorum, quæ compoſita ſunt, ad hoc facit, vt velut vnita peccantium humorũ diuerſitas, vno, ſed ex variis compoſito, quibus tamen contraria cum peccantibus humoribus ſit natura, medicamento corrigatur, reſtituaturque: quod ſimplici vnico medicamento fieri non poterat: Cum nullum ſimplex & vnum aliquod medicamentum ſit, quod omnibus ex æquo affectibus accommodari poſſit.

De commixtione ſimplicium medicamentorum purgantium.

Cap. IV.

Simplicia quidem medicamenta purgantia quomodo per ſe, iuſta correctione adhibita, exhibenda ſint, peculiari capite in enumeratione ſimpliciũ purgantium eſt expoſitum. Iamnunc

nunc de modo commixtionis eorum ad inuicem eſt dicendum. Non autem magni eſt negotii cõmixtionem ex iis facere habita ratione eorum, quæ dicta ſunt, hoc eſt, Primum affectus ipſius Deinde medicamentorum. Si ergo in affectu compoſito aliquo, aut diuerſitate humorum peccantium, purgans medicamentum ex ſimplicibus componere volueris, tunc videndum eſt q̃ nam humores redundent, ac ſiquidem duo fuerint æqualiter peccantes, duo inter ſe commiſcebis, dimidio pondere de doſi ſingulorum accepto: Sin tres fuerint humores, tria commiſcebis, tertiam iuſti ponderis ſingulorum accipiẽs. Sin plures fuerint humores, plura ſumes, ꝓportione ad quartam partem ſingulorum obſeruata. Atq; hæc quidem, ſi æqualiter humores vel duo, vel tres, vel omnes excedant.

Exempli gratia, Si pituita abundet in capite, & bilis infeſtet ventriculum pariter, principio ſumes medicamentum quod purgat pituitam in capite, quale eſt agaricus. Deinde aliud quod

flauam bilem in vẽtriculo purget, qua le ſcãmoniũ. Iã ergo doſin ſingulorũ mediã cape, q̃a duo ſunt ſimplicia purgãtia. Vt agarici ʒj. Scãmonii ℈j. Adde item corrigentia, vt zingiberis ℈j. pro agarico: & aniſi, maſtiches, ana ℈ ß. pro ſcammonio. Tertio potes addere quæ virtutem eorum ad partem vacuandã deducant, velut ad caput, thus, ladanũ: ad ventriculum, hyſſopus, tragacanthum. Poſtremo ex aqua mulſa, vel ptiſanæ cremore exhibebis. Sin inæqualis humorum fuerit exceſſus, tum plus de illo admiſcemus quod humorem talem qui magis excedit euacuare poſſit. Velut in dicto iam affectu, ſi pituita ſuperet bilem, tum plus de medicamẽto quod pituitam reſpicit, minus vero de eo quod bilem purgat, exhibemus, ſemper ſeruata proportione miſcẽdorum. Quia enim duo ſunt miſcenda, ideo doſis ſingulorum dimidia debet poni: verũ quia pituita largius abundat, doſin aliquantum augeo, vt agarici (quod pituitam in capite vacuat) doſis media eſt. ʒj. Scammonii vero

quod bilem educit, doſis media eſt ℈j. Iã igitur q̃a pituita excedit bilẽ,augeo Agaricũ,& minuo ſcãmonium,Hoc pacto ℞.Agarici ℈iiij.ſcãmonii g̃.xv. Addo itẽ infrænãtia, vt zingiberis ʒj ß. Aniſi,maſtiches ana g̃.viiij. thuris hyſſopi an.g̃.v. Cõmixtis omnibus, exhibeãtur ex aqua mulſa vel cremore ptiſanæ. Sin bilis excedat pituitam,in dicto affectu,tũ bilẽ ducens medicamentum augebitur, pituitam vero quod reſpicit minuetur. Velut agarici ʒij. ſcammonii ℈j ß. Additis corrigentibus. Simili modo eſt ſtatuendum de aliis, quotquot etiam humores peccãtes fuerint. Vt ſi tres humores ſimul corpus infeſtẽt,ſumes medicamẽta ſimplicia,q̃ ſingulos humores reſpectẽt, &ꝓportione ſeruata, tertiã vniuſcuiuſq; partẽ accipies:Sin aliq̃s ex tribus iſtis humoribus largior reliquis fuerit eius doſin, quæ eſt tertia pars integræ doſios, augebis,in quãtũ humor is reliquos vincere videbitur,cæterorum vero doſin minues. Similiter ſi quatuor ſimul humores corpus infeſtent, quatuor ſimplicibus

purgantibus, pro humorum ratione aſſumtis, quartam ſingulorum partem commiſcebis, iterum obſeruato vincẽtis humoris exceſſu, vt eius proportionalis doſis augeatur, reliquorum vero nõnihil minuatur: adhibitis etiam corrigẽtibus, quæ ſingulis ſunt familiaria.

Poſtremo ex conueniẽte liquore propinabis.

Puluis purgatorius, alias Tragea laxatiua

Et hãc commixtionem vocant Medici puluerẽ purgatorium.

Infuſio

Quod ſi infundere ſimplicia voles, hoc eſt, infuſionem eorum facere, eadem erit miſcendi ratio, ſaltem quod doſis augenda eſt in infuſionibus. Infundes autem in aqua ſeu liquore conueniente, qui ſcilicet affectui reſpondeat, obſeruato etiam tempore infuſionis: quædam enim ad duodecim horas, nonnulla ad vigintiquatuor infunduntur. Quanta autem doſis ſimpliciũ in infuſionibus eſſe debeat ſupra peculiari capite de correctione ſimplicium per infuſionem oſtenſum eſt. Porro poſt infuſionem, materia fortiter colo eſt exprimenda, ac liquor aſſumendus.

Quæ

Quæ vero ſimplicia medicamenta eua cuent bilem, quæ pituitam, quæ melan choliam, quæ humores ſeroſos & aqueos, & qua parte corporis, quæq; ex his clementiora, quæ valentiora, id in euacuatione ſpeciali ſingulorum humorum poſtea dicetur. Supra autem ſingulorum ſimplicium purgantium vires, correctionem, modum exhibendi, & doſin iuſtam ordine expoſuimus. Ad hæc etiam quæ ſimplicia medicamentum purgans ad peculiarem partē corporis proprietate ſua deducant, & inibi virtutes eius iuuent, ſpeciali tabu la, in correctione medicamentorum quæ fit per commiſtionem, ſupra eſt oſtēſum. Quæ omnia huc erunt referenda, & in commiſcendis inter ſe ſimplicibus quam diligentiſſime obſeruāda.

Ex dictis autem medicamentis ſimplicibus purgantibus inter ſe commiſcendis, licebit etiam formare pilulas, trochiſcos, vel alio quoque modo cōponere. Si volueris pilulas aut trochiſcos formare, iuſtam præſcriptam doſin ſume, & debito modo inter ſe commi- *Pilulæ* *Trochiſci*

xtis ſingulis ſubige in maſſam cum ſtillatitio aliquo liquore, qui affectui, cui accommodare vis, ſit appropriatus, & hinc vel pilulas vel trochiſcos conficito, ſi tali forma placeat ſumere. Frequẽtior tamen eorum vſus eſt, vt per ſe cõmixta ex liquore conueniente exhibeantur, vel per infuſionem: Vel vt admitis aliis compoſitis fiat bolus, de quo deinceps in commixtione ſeu compoſitione medicamẽtorum purgantium compoſitorum dicetur.

Bolus

Decoctiones purgatoria

Poſtremo fiunt etiam ex ſimplicibus medicamẽtis decoctiones purgatoriæ. Fiunt autem hæ ex ſimplicibus purgãtibus eadem fere ratione, qua & aliæ ad inuicem commixtiones. Miſcentur vero in decoctionibus multa eiuſdem generis, quæ humori purgando vel vni vel pluribus ſint accommodata: doſi eodem modo quo in aliis commixtionibus ante dictis obſeruata. Porro fiunt plerunque decoctiones magnæ, vt pluribus vicibus de vna decoctione ſumi poſſit, vnde pro magnitudine eiùs doſes quoq; augendæ erunt. Vt ſi ex vna poti-

potione debeant duæ, tres, vel quatuor, aut plures doſes fieri, tum ingrediẽtium doſis in tantum multiplicanda erit.

Si igitur decoctum pro vna doſi facere voles, primum ſimplicia conuenientia humori, quæ vni doſi ſufficiant commiſcebis, ſiue ea pauca ſiue multa fuerint: Deinde ad vnam doſin affundes aquæ ℥iiij & ſemiſſem vnciæ, decoquesque ad conſumtionem partis tertiæ, & ſic remanebunt ℥iij, quæ vna vice ſumentur.

Exempli gratia, decoctum facturus pro euacuandis humoribus melancholicis & craſſis, præſertim in iuncturis, Primũ ſume ſimplicia aliquot quæ tali facultate ſint prædita, eaque iuſta doſi ſecũdum proportionem commiſce: Talia ſunt, Turbith, Polypodium, Hermodactyli, Senna, hæc igitur quatuor ſi ſola ſumere voles, ſingulorum quartam partem pone, additis ſimul iis quæ corrigendi vim habent. Dantur autẽ Hermodactyli & turbith per ſe ʒj pondere, ergo hic ſumentur genera xv, (p.

portio enim pro miſcendorum purgã-tium multitudine minuitur, ſicut ante dictum eſt) polypodium & folliculi ſenæ per ſe dantur ʒij. hic ergo ſume pro vna vice ʒ ß. Siquidem quatuor purgantia ſimplicia miſcentur. Corrigentia ſunt Zingiber, Maſtiche, quæ habẽt tertiam partem ad purgans ſimplex. Item Semen dauci, Cinnamomum. Hinc aſfundantur aquæ ℥v. hoc modo.

℞ Hermodacty.
Turbith an. ℈ xv.
Polypodii.
Folliculorum ſenæ an. ʒ ß.
Zingiberis.
Maſtiches. an. ℈. v.
Cinnamomi.
Sem. dauci an. ℈. iij.

Concidantur minutim & decoquãtur in aquæ ℥v. ad compoſitionem partis tertiæ. Hinc fortiter colo exprimãtur.

Si maiorem hanc potionem velis, hoc eſt, vt quatuor doſes habeat, ſeu vt quatuor vicibus de ea ſumi poſſit, omnia quadruplici põdere accipe: Hoc modo. ℞

℞ Hermod. Turbith. an. ʒj. Polypod. Fol. Senæ. an. ʒij, Zing. Maſtich. an. ℈j.
Cinnamomi. Sem. dauci ℈ ß.

Coquantur in aquæ lib. j. ß. ad conſumtionem partis tertiæ, dentur vna vice ℥iij. Suauioris etiam ſaporis gratia poſſunt dulcorari decoctiones tales cũ ſaccharo. Poſſunt autem alia quoque ſimplicia velut herbæ & flores pro humoris ratione addi. Vt in melancholia flores echii, borraginis. In purgatione pectoris, violæ, vuæ paſſulæ, idque genus alia pro cuiuſque libitu. Sic de aliis etiam iudicandum.

De commixtione medicamentorum purgantium compoſitorum.

CAP. V.

COmpoſita purgantia medicamenta ſunt vel liquida vel ſolida. Liquida ſunt, quæ vocantur alias Antidota purgantia: & ſunt eclegmata ſeu confectiones lenitiuæ. Solida ſunt quæ vocãtur catapotia, vulgo pilulæ.

Principio igitur ſingulorum per ſe,

pars tertia, vt ex omnibus vna doſis reſultet. Rurſus ſi inæqualitas humorum fuerit, tum illius doſis, quod vincētem humorem reſpicit augebitur, reliquorum minuetur. Poterunt autem clemētiora cum valentioribus coniungi. Porro quænam ſint liquida purgantia ſingulos humores antidota, dicetur in ſpeciali humorum purgatione. Solent autem commixtionem talem antidotorũ in Saccharum inuoluere: vocantq; Bolũ purgatorium. Iam exemplis rem declarabo. Purgaturus pituitam ſimplicem, ſume duo vel plura ꝓ libitu, quæ facultatem eam habeant, & commiſce ea ſecundum debitam quantitatē hoc modo.

℞ Hieræ picræ.
El. Diaphœniconis an. ʒj ß.
Electuarii Indi ʒj. fiat bolus cum Saccharo.

Hic quia tria ſunt commiſcēda, ſingulorum tertiam partem accipio: Sed quia tertium eſt ex valenter purgantibus, ergo ſi non opus ſit vehemēti purgatione, eius quantitatem minuo; & re

liquorum augeo.

Aliud Item ſi pituita & humor melancholicus ſimul exſuperent, ac vincat pituitam melancholia, tum in melancholia doſis erit maior, in pituitoſo humore minor. Hoc modo.

℞ Diaphœniconis ʒjß.
Diaſenæ lax. ʒj.
El. de epithymo. ʒjß. fiat bol. cum Sac.

Ex his primum purgat clementer pituitam: ſecundum clementer atram bilem: tertium valentius eandem bilẽ euacuat. Conſimili modo de aliis iudica.

Aliud Si quatuor erunt miſcenda, tum ſingulorũ ſumetur pars quarta, ac ea, quæ vincentem humorem reſpectant ſemper augebuntur: ita tamen vt tota doſis ℥ß non excedat. Hoc modo ad bilem flauam, pituitam & melãcholiam, inter quæ tamen flaua bilis maxime excedat.

℞ Elect. Indi. ʒj.
Caſſiæ fiſt. ʒß
Dia prunis ſol. ʒjß,
Cõfect. hamech. ʒj. fiat bol. cũ ſacch.

Ex

Ex his primum purgat pituitam, poſtremum atram bilem, ſed media duo flauam bilem, quæ ob vincētem illum humorem maiorem quam reliquorū ſingula quantitatem habent.

Exhibētur autem talia ſummo mane, ex cremore plerunq; ſeu iuſculo piſorum.

Et tantum de purgātibus compoſitis liquidis. Poſſunt etiam ſimplicia purgantia, pro arbitrio medici addi.

De compoſitis purgantibus ſolidis.

CAP. VIII.

Compoſita purgantia ſolida exhibentur duplici forma: vel in tabulis ſeu rotulis: vel in catapotiis ſeu piluliſ.

De tabulis ſeu rotulis purgantibus.

Quæ in tabulis exhibentur ſunt potiſſimum hæc quatuor. Diaphœnicon in tabulis Antid. de ſucco roſarum ſolida, rotulæ diaturbith: & diacarthami. Dantur plerunque per ſe, vel in iuſculo aliquo. Doſis eſt ℥ ß & interdum ʒ vj. Componuntur ex iiſdem, ex quibus purgantia liquida, niſi quod hæc cum

ſacchαro in ſolidam redigũtur formã, reliqua vero cum melle componuntur & liquida manent.

De Catapotiis ſeu pilulis.

Cap. VIII.

Pilularũ doſis non ſolet fere excedere ℥j. Quæ autem ex his phlegma, quæ alium humorem ducãt, in ſpeciali humorum euacuatione dicetur. Porro in commixtione pilularum ad invicem eadem quantitas eſt obſeruanda. Solẽt autem plerunque in commixtione quædam quæ acrimoniam eorum adiuuent, addi, velut Diagridium, ad grana iij. vel iiij. Trochiſci agarici & paſtilli alhandi a ℈ſ. ad ℈j. Itẽ ſemina odorata vt aniſum, fœniculũ: nec nõ maiorana, maſtiche. Nonnunquam etiam in magnis affectibus, muſcus, ambra, eaque granis numerantur. Poſtremo cum liquore aliquo ſtillatitio cõueniente excepta formantur, & ſuauitatis gratia pulueri cinnamomi vel cubebarum, inuoluuntur & nonnunquam etiam obducuntur auro.

Primum autem humorem peccantem noſſe oportet, deinde pilularum vires, quæ ſcilicet quos humores, & quibus locis purgẽt. Quo cognito pro adfectus diuerſitate varia pilularum genera miſcemus, & vnum ex iis corpus facimus Si itaque duo pilularum genera commiſcere volueris, tum ſingularũ partem cape mediam, hoc eſt, ʒj. Si tria, partem tertiã, hoc eſt, ℈j. Item pro humoris vincentis ratione. doſin quoque augere oportet Vt ſi pituita & atra bilis ſimul corpus infeſtẽt, ſumes pilularum genera quæ his humoribus ſint deſtinata ac aliquid acrimoniæ vice addes. Semper autem locum affectum reſpicies: vt ſi in capite pituita abundet: atra vero bilis in reliquo corpore. Hoc modo.

℞ Pil. aloeph. ℈j
Cochiarum.
De fumo terræ an. jß. diag. g̃. v.
Troch. de agar. ℈ß. Maioranæ,
lapid. lazuli an. g̃. viij. Cum aqua
fumariæ fiant pilulæ numero xvi j
Inuoluantur pulueri cubebarum

Hoc modo aucta doſis bina vice ſolet exhibere, vt ſcilicet ſingulis vicibus nouem dentur pilulæ. Si pro tribus vicibus debeant ſumi, tum xxvij fiunt numero, & ſingulis vicibus ſumunt nouē. Sit exemplum pro melancholico & aduſto humore corporis.

℞ Pil. de fumo terræ ℈ij.
de 5. gen. myrob. agar. troch.
an ℈j.
Alhandi, diagridii an. ʒß.

Cum aqua fumi terræ fiant pilulæ numero xxvij.

Aliud ad flauam bilem capitis & dolores arthiticos.

℞ Pil. de hermod.
aureatum.
Reub. electi. an. ℈j. Agar Iro. ℈ß.
diagridii g̃. vj. Cum aqua Betonicæ fiant pilulæ numero. xxvij.

Inuoluantur pulueri cubebarum. Sumantur ſingulis vicibus nouem.

Ad pituitam ventriculi

℞ Pil. Maſtichinarum, Stomachinarum an. ℈j.
aggregatiuarum,

tro-

trochiſ.aga.an.℈ß: fiant pilulæ cũ aqua abſinthii numero viij. Inuoluantur puluere cinnamomi.

Porro obſeruandum eſt in pilulis q; quæ ad caput purgandum exhibentur cæteris maiores eſſe debent, vt diutius ventriculo immorantes, potentius ad ſe noxios humores attrahant. Et hæ ſumuntur veſperi duabus aut tribus horis a cœna: Quædam minori forma parantur, vt aloephanginæ, & communes dictæ, vt ſtatim in ventriculo diſſoluãtur, parum eum purgant, ſed ventriculum magis confortant: & hæ exhibentur duabus horis ante cœnam. Quæ vero ad aluum deiiciendam conficiũtur, mediocri forma eſſe debent. Doſis autem pilularum vna vice raro ʒj. debet excedere. Plerunque autem in commixtionibus additis quæ vim eorũ augeant, vltra duos ſcrupulos non ſumuntur.

Tantum de Methodo ſeu ratione componendi medicamenta purgantia tam ſimplicia, quam compoſita omnis generis. Deinceps ſpecialis ſim-

plicium & compoſitorum ſecundum ſingulos humores fiet diſtributio.

De ſpeciali ſingulorum humorum purgatione.

CAP. IX.

PRæparato corpore ad humoris peccantis purgationem, per ea, quæ humorem illum digerere poſſunt, quemadmodum in capite ſupra de præparatione humorum ad purgationem indicatum eſt, dein purgare corpus licebit, obſeruatis tamen iis, quæ in purgationibus obſeruanda eſſe in Methodo cõponendi purgantia medicamenta ſupra oſtendimus. Iam itaque quæ ſingulis humoribus euacuandis peculiariter medicamenta tam ſimplicia quam cõpoſita conueniant, e quibus ad omnis generis morbos purgationes vel ſimplices vel compoſitæ, ſecundum varios modos, ſiue per pulueres, vel infuſiones, vel decocta, vel eclegmata, vel bolos, vel tabulas, vel etiam pilulas: componi poterunt, ſubiungam.

Phlegmatici humoris purgatio.

CAP. X.

Simplicia quæ educũt phlegma ex

- *Capite*
  - Clemen. Aloe, ſtœchas. myrobalani Cepulæ & Indæ. ſtyrax, thymus.
  - Valen. Agaricus, Colocynthis. ſcillæ, bryonia. ſagapenum, ſarcocolla, turbith.
- *Thorace & pulmone*
  - Clemen. Hyſſopus, thymus.
  - Valen. Agaricus, ſarcocolla, iris, colocynthis, ariſtolochia, bryonia, balanus myrepſica, dracunculus, arus, ſagapenum.
- *Vētriculo & inteſtinis*
  - Clemen. Aloe, bdelliũ, mercurialis, ſtyrax.
  - Valen. Balanus myrepſica, Cyclaminus, nitrum, ricinus, ſcammonium, ſagapenum. eupatorium
- *Splene*
  - Clemen. Stœchas, eupatorium.
  - Valen. Agaricus.
- *Renibus*
  - Bryonia, Geniſta.
- *Iuncturis & aliis partibus remotis*
  - Clemen. Polypodium.
  - Valen. Hermodactylus, ſarcocolla, opopanax, aſarum, elleborus niger, ſagapenum, euphorbium, colocynthis, turbith, ſal gẽmæ, ricinus, centaurium minus, cucu[illegible]a, greſtis, bryonia, balanus myrepſica, geniſta.
- *Epate*
  - Clemen. Serum lactis, eupatorium, myrob[illegible] cepulæ.
  - Valen. Agaricus, iris, granum gnidiũ, as[illegible]ſtum, ſagapenum, ſarcocolla.
- *Cute*
  - Clemen. Serum lactis, polypodium, myrobalani Indæ.
  - Valen. Colocynthis, agaricus, elleborus, niger.

Quæ ſingulorum ſimplicium ſit doſis & correctio, in enumeratione ſimplicium purgantium eſt dictum: quomodo item plura ſimplicia purgantia inuicem commiſceri debeant, in Methodo componendorum purgantium medicamentorum̀ eſt expoſitum. Ad hæc quænam ſimplicia purgãs ſimplex medicamẽtum ad partes corporis ſingulas deducant, inibique operationem eius adiuuent, peculiari quoque capite in correctione ſimplicium medicamentorum eſt oſtenſum.

Antidota liquida purgãtia pituitam	*Clementiora*	*Hiera picra* *Agaricus* *elect. diaturbith.* *diaphœnicon*	*Doſis ad* ℥ß,
	Valentiora	*Electuariū* Eſclstopff *elect indum* *diacitoniten* *el. diacarthami* *Benedicta*	*Doſis ad* ʒvi

Antidota purgantia pituitam ſolida	*Diaturbith in rotulis* *Dicarthami* *Diaphoen in tabulis.*	*Doſis ab* ß℥.6ʒvi

Pro-

Pro phlegmate purgando compoſitio Bertrutii.

℞ Turbith albi & electi ʒjß. Zing. ʒj. ſacchari. ℥ij. fiat puluis ex ipſis, qui detur totus mane cũ aqua calida, & differatur cibus poſt ipſum: quia eſt tardæ ſolutionis.

- *Pilulæ purgantes pituitã*
  - *Clementiores*
    - *Aſſaieret*
    - *de hiera ſimpl.*
    - *aloephangina*
    - *Imperiales*
    - *de agarico*
    - *Stomachica*
  - *Valentiores*
    - *De hiera cum agarico*
    - *Cochia*
    - *Inda*
    - *Arthritica*
    - *fœtida*
    - *lucis*
    - *de hermodactylis*
    - *de euphorbio*
- *Doſis ʒj* (for all the above)

Quomodo exhibenda ſint hæc purgantia compoſita, & quomodo inuicẽ etiam commiſcenda, in methodo componendi purgantia medicamenta eſt dictum.

Flauæ bilis purgatio.

Cap. XI,

Simplicia q̃e ducũt Cholerã ex

- *Capite*
  - *Clemen.* *Aloe, viola nigra.*
  - *Valen.* *Agaricus*
- *Thorace & pulmone*
  - *Clemen.* *Manna, Caſſia fiſtula, pſyllium, viola.*
  - *Valen.* *Agaricus*
- *Ventriculo & inteſtinis*
  - *Clemen.* *Aloe, abſinthium, myrobalani citrinæ, pruna*
  - *Valen.* *ſcammonium*
- *Epate*
  - *Clemen.* *Lupulus, ſerum lactis, rhabarbarum, eupatorium, abſinthium & ſuccus eius, ſuccus roſarum, Tamarindi, fumaria.*
  - *Valen.* *Agaricus*
- *Splene*
  - *Clemen.* *Stœchas, eupatorium, abſinthium*
  - *Valen.* *Agaricus*
- *Iũcturis, & reliquis par*
  - *Clemen.* *Serum lactis, fumaria*
  - *Valen.* *Agaricus*

- *Antidota liquida purgãtia Choleram*
  - *Clementiora*
    - *Caſſia fiſtula*
    - *Manna*
    - *Diaprunis ſim.*
    - *Catholicon*
    - *Rhabarbarum*
  - *Valentiora*
    - *De ſucco roſarum*
    - *Diarhabarb Nic.*
    - *Diapruni. ſol.*
    - *Stomach. lax.*
    - *de pſyllio*
    - *Cathart. imperiale.*

- *Antidota purgantia choleram ſolida*
  - *Antid de ſucco roſarum ſolida*
  - *Diaphœnicon in tab.*
  - *Diacarthami.*

- *Pilulæ purgantes Choleram*
  - *Clementiores*
    - *De Rhabarbaro.*
    - *Sine quibus eſſe nolo,*
    - *Cõmunes ſiue peſtilentiales.*
  - *Valentiores*
    - *Aggregatiuæ*
    - *Aurea*
    - *De aloe.*

Compoſitio ad flauam bilem in corpore purgandam, ex Bertrutio.

℞ Reub. electi ʒj. vel ij Puluerizetur & incorporetur cum ℥iiij. vel v. aquæ decoctionis prunorum damaſcenorum, dando actu calidam in aurora.

Atræ bilis purgatio.

Cap. XII.

Simplicia quæ educũt melancholiã ex

Capite	Clemen.	Stœchas, epithymum.
	Valen.	Sal indus, lapis cyaneus, lapis armenus, turbith.
Thorace & pulmone	Clemen.	
	Valen.	lapis armenus, lapis cyaneus, Scilla.
Vẽtriculo & inteſtinis	Clemen.	Senna.
	Valen.	Scilla.
Epate	Clemen.	Fumaria.
	Valen.	Senna.
Renibus	Clemen.	Polypodium, epithymum, Stœchas, eupatorium, myrobalani nigra.
	Valen.	Sẽna, elleborus niger, ſal indus, ſal niger.
Iuncturis & aliis partib.	Clemen.	Polypodium, Stœchas.
	Valen.	Sal indus, elleborus niger.
Cute	Clemen.	Fumaria, epithymum, polypodium, ſenna.
	Valen.	

Antido-

Antidota liq̃da purgãtia Melancholiã
- *Clementiora*
  - *Caſſia fiſtula*
  - *Diacaſſia*
  - *Dia ſennæ lenit.*
  - *Catholicon.*
- *Valentiora*
  - *Confectio hamech*
  - *elect. de epithymo*
  - *diacitoniten.*

Pilulæ purgãtes Melancholiã
- *Clementiores*
  - *Indæ*
  - *de fumo terræ*
  - *de s. gẽn. myrobal.*
- *Valentiores*
  - *De Lapide lazuli.*
  - *de lapide armeno*

Melancholiam purgans medicamentum ex Bertrutio

℞ Senæ ʒv. Zing. ʒij. Cartami ℥ß. Cinamomi ʒij. Mixtis omnibus fiat puluis de quo detur ʒj. vel ij. ante prandiũ per horas ij. cum iure carnium calido.

Sanguinem mundificantia.

Cap. XIII.

Simplicia quæ ſanguinem mundificant	*Fumaria, ius gallorum, lupulus, ſuccus roſarum, lapis cyaneus, ſenna, ſerum lactis, volubilis, ſuccus porri capitati, Mercurialis, viola alba, malua ſylueſtris, ſaluia*

Sanguis ſi abundet, poterit euacuari phlebotomia. Sin mundificare leniter ſanguinem volueris, fiat talis compoſitio.

Ex Bertrutio.

℞ Thymi, epithymi, ſenæ an. ℥ij. Omnium myrobalanorũ an. ℥ß. Reub. opt. Turbith albi & electi, zing. albi. an. ℥j. ſacchari ℥ij. fiat puluis ex his, & detur totum in aurora cum aqua decoctionis fœniculi vel aniſi.

Debet autem hæc mundificatio ſanguinis fieri in principio veris vel autumni.

Aliud

℞ Herb. fumi terræ, recentis m. iij. Borrag. lupuli, ſcabioſæ, capilli veneris

neris,endiuiæ,an.m.j.d.abſinthii, polypodii quercini.an.m.5.ſem.aniſi. ʒv. glycyr. ʒvj,carycarum ʒß. Miſce ſeri lactis ℔.cõmunes viij. Decoquantur ſimul ad medietatem.

Vſtos humores educentia.

CAP. XIV.

Simplicia quæ vſtos humores educunt.	*Clemen. Myrobalani nigra fumaria, lupulus, volubilis ſerum lactis.* *Valen. Senna.*

Pro aduſtis humoribus educendis ex Bertrutio.

℞ Medullæ caſſ. fiſt.
Mannæ.
Tamarinthi an. ℥ß. diſſoluantur in ℥v.vel vj.aquæ decoctionis prunorum,& colentur, & detur totum calidum in aurora. Ac ſi nolis omnia recipere, tunc ex dictis recipe vnum aliquod pondere ℥j vel ij.

Aquam educentia.

Cap. XV.

Simplicia quæ aquam educunt.

- *Clmen.* Thymus, adianthum, album.
- *Valen.* Turbith, euphorbium, ricinus, cucumer agreſtis, centaurium minus, ariſtolochia, ſal gēmæ, ſquāma æris, Coccum gnidium ſeu thymelæa.

Aquam ruffam ſeu citrinam educentia

Cap. XVI.

Simplicia quæ aquam ruffam educunt

- Iris, cucumer agreſtis, agaricus, ſagapenum, granum gnidium, eſula, æs vſtum.

LIBER TERTIVS DE HIS, QVÆ POST PVRGATIONEM FIERI DEBENT, ET de purgationum accidẽtibus, item de medicinis confortatiuis.

Quid a purgatione faciendum.

CAP. I.

A Purgatione a ſomno & ſudore abſtinere oportet. Somnus ſiquidem cum medicamentum fere concoquat, vim eius frangit & diſſoluit, ne a remotioribus partibus trahere ſubinde poſſit. Sudor autẽ humorum motum ad exteriora facit: in purgatione autem fit humorum motus ad interiora. Oportet igitur ſumto medicamento purgante, corpus ambulatione mouere, vt ſcilicet celerius medicamentum deſcendat: Sumendus etiam poſt aſſumtum medicamentum, ſi validum fuerit, ptiſanæ, aut piſorum cre-

mor, vt ſi qua pars medicamenti gulæ aut ſtomacho adhæſerit, ea tergeatur, & deorſum trahatur, factaq; in his partibus a medicamẽto offenſio corrigatur. Solent tamen aliqui medicamenta ipſa purgantia, præſertim quæ boli forma exhibẽtur, in liquore ſeu iuſculo piſorum, pinguedinis & ſalis experte, diſſoluere, & hoc modo abſorbere.

Quomodo ſubueniendum his qui pharmacum biberunt & non purgantur. ex Galeno & Aetio.

Cap. II.

SI porrecta medicina purgãte aluus non ſubducatur, id fit his potiſſimũ de cauſis: vel ob ægroti peculiarem naturam: vel ob porrecti medicamenti exilitatem: vel quod ſtercus durum in inteſtinorum aliquod impactũ (quod antea clyſtere immiſſo poterat excerni) euacuationem remoratur: vel quod natura ſuos conatus ad vrinam vertit: aut propter errorem, quod pars purgãtis pharmaci alimentum fit animalis, pars vero in pharmacum venenoſum vertitur. Cum itaque ex medicamen-

to purgatorio aluus non deiicitur, idipſum peſtilens aliquoties & exitiale corpori animãtis redditur: interdum tamen ne offendit quidem, nempe cũ in corporis alimentum tranſmutatur. Proinde ſi quis non purgetur ſumto pharmaco, aquam mulſam meraciorẽ aſſidue ſorbendam dato, & nitri parum in aqua liquefacti. Optimum vero ſe cognouiſſe teſtatur Aetius, Maſtiches ſcrupulos duodecim, leuiſſime tritos cũ aqua tepidiore. Plurimũ etiã iuuat glandem ex ſale, nitro & melle ano indere. Pomum etiam aliquando mandu catum plurimum prodeſt. Corroboratum enim os ventriculi, ſuperfluitates inferne protrudit, clyſteribus etiam ad iuuare expulſionem oportet. Vomitũ quoque tum prouocare oportet, quando a medicamento os ventriculi mordetur, & nauſea ſingultuſq; ſuffucatorius excitatur. Adſtringentia etiam ſi ſumantur, ipſa deturbant.

Quid faciendum ſi medicamentum illegitime & moleſte vacuet. ex Meſue.

CAP. III.

Medicamẽtum illegitime & moleſte vacuat, quod purgat quidem, ſed nõ quos humores vacuari oportuit, idque præterea facit cum vomitu, torminibus, æſtuatione. Si itaque vacuat corruptum quidem & impurum, non tamẽ, quem volebamus humorẽ, his ipſe alio purgante ſumto eſt vacuandus: alioqui latius in corpore ſpargetur & increſcet, ob agitationem & cõmotionem in eo factam, & aliarũ materierum affluentium, in ipſum cõuerſionem: quemadmodum in lacunam dum diuerſa tum pura tum impura affluunt, eam ſubuertunt, & totam tandẽ impuram reddunt.

Illegitima vacuatio corrupti humoris.

Remedia

Quod ſi non corruptum humorem ſed benignum & neceſſarium, euacuat medicamentum, æger æſtuat, vexatur, viribus immodice deiectis languet, natura expulſioni renitẽte (quorũ nullũ adeſt vbi excremẽta ſola vacuantur.)

Illegitima vacuatio puri humoris

Proinde mox eius medicamenti vires frãge, ipſumq; a corpore lubricando deturba: quæ duo aqua calida in horas pota præſtat.

Remedia

Si autem vomitum & animæ ſubuerſionem medicamentum excitat, hoc fit vel ob ipſius medicamenti naturã, vel quia abominabile, vel quod a flatibus leuatur, vel ob ſtomachi imbecillitatem, vel ob ſtercus ſiccius impactũ, vel ob inteſtinorum anguſtiam (velut etiam ſupra oſtenſum eſt, quomodo ex deiectorio fiat vomitorium.) Si igitur ob poſtremas duas cauſas accidit, clyſtere idoneo ſtercus molliatur, & inteſtinorum ab his obſtructio liberetur: quod ſi id non ſufficit, vomitu expellatur medicamentum. Quod ſi ſumtum eſt abominabile, aut ſtomachus eſt imbecillus, ob idque vomitus timeatur, a corporis & animi motibus quantum potes abſtine, donec in medicamentũ ipſum natura vndiq; agat, aliter in naturam non acturum: odoretque æger flores, & alias plantarum partes ſuauiter olẽtes, menthã, ſampſuchũ, citri folia & fructũ, apium, abſinthiũ, cidonia, macianum, roſas, bolum aqua roſarũ & aceto aſperſum, lutum quo pãni ablu-

Vomitus.

Remedia vomitus.

untur aqua roſarum & recentibus roſis nutritum. Extrema quoque fricuiſſe & vinculis dolorificis conſtrinxiſſe, manus item ac pedes aquæ calenti multum mordenti impoſuiſſe iuuat. Si vero medicamentum eſt ſtypticum, tum mordere aliquid prædictorum, & quaſi lambendo bibere, faciem aqua roſata vel alia redolēte leuiter aſpergere, gaudere, delicias curare, præſertim nauſea incipiente, vomitum prohibet. Vbi vero anima eſt ſedata, ambulet & paulū moueatur, quo promtius medicamentum deſcendat, vt docuit Hippoc. Tormina vero medicamētū excitat, quod ſtomachum & partes, quas permeat pūgendo lædit, vel intemperie ſua afficit, aut quod immodice trahit humorem, tā benignum quam malignum. Ob id vim eius cito obtūdimus, ipſumq; cito ex corpore expellimus, quemadmodū in illegitima purgatione diximus.

4 aphor. 14. & ibi. 15.

Tormina

Remedia torminū

In ſumma: moleſtam humorum in corpore agitationem & fluctuationem quies & ſomnus ſedant, reliquis etiam debito modo obſeruatis.

Somnus & quies in moleſta & illegitima purgatione

Quid faciendum ſi medicamentum nimium, ſeu plus quã oportet vacuet. Meſ.

CAP. IV.

IMmodica vacuatio a medicamento purgante facta, quæ græcis hypercatharſis dicitur, fit triplici de cauſſa, vel ratione ſumentis, vel ratione ipſius medicamenti: vel ratione accidentium, quæ vtrique ſuperueniunt. *Triplex cauſſa immodicæ vacuationis*

Ratione ſumentis fit immodica purgatio, quod is vel excrementis ad fluendum paratiſſimis redundet, vel venarũ facultate retentrice ſit imbecilla, vel orificiis amplioribus, vel ex iis eſt, quibus purgatio eſt interdicta. *I. Modus.*

Ratione vero medicamenti nimia fit purgatio, quoniam id aut qualitatẽ habet alienam, & deleteriam, venenoſamque, aut largius ſumtũ eſt, aut portione ſui ventriculi & inteſtinorum villis adhæret, aut venarum ora mordet. pungit, aperit, aut cor intemperantius reddit: quæ hypercatharſeos cauſſæ ex iis, quæ præceſſerunt ſunt diſcernẽdæ. *II. Modus.*

Ratione denique accidentium quæ *III. Modus ſeu cauſſa.*

vtrique ſuperueniũt immodica fit purgatio: Auſtralis enim conſtitutio, vt inq̃t Gale. ſi vincat, aperit, rarefacit, humores ad fluendum idoneos reddit: Aquilonia quoque, ſi præpolleat, fluxiones etiam comprimendo & exprimẽdo excitat: quapropter per hos flatus qui promte tunc fluxionibus tentantur, purgandi non veniunt. Potus quoque largior aquæ frigidæ, ac errores in ſumendis, admouendis, educendis, faciendis, hypercatharſin promouet.

Remedia Huic immodicæ vacuationi, ne vires proſternat, reſiſtemus per ea, quæ dictis fluxionum cauſſis ſunt contraria: Vt ſunt, quæ medicamenti virtutem frangunt, obtundunt, incraſſant, compingunt, motu moleſto exſuunt, expellunt vomitu, oppoſito ſcilicet motu fluxui ventris: adhæc quæ roborant cogendo & conſtringendo: quæ denique cor ipſum roborant, & animam recreant exhilarantque. His enim omnibus tota hypercatharſeos cura perficitur.

Cura prima cauſſa hypercatharſeos.

CAP. V.

SI ob primam dictam cauſſam aliquã alius immodice fluat & corpus naturæ frigidioris fuerit, tum ea, quæ vim retentricem firmare poſſint ſunt ſumenda: aut etiam clyſtere, ſi opus eſt, iniectis rebus odoratis ac cõſtringentibus, cogentibus & contrahẽtibus, vtemur. In hunc vſum maxime confert maſtiche: Cogendo enim & contrahendo roborat. Si igitur maſtichis ʒij. aut iij. cum ſucco cydoniorum bibantur, medicamentum reliquum expellẽt comprimendo, ac tandem aluum adſtringent. Adhæc ventrem & ſtomachum oleo roſato, quam pati poteſt calidiſſimo, illeuiſſe, pulueremque maſtiche aut Gallæ, aut roſarum ſuperſparſiſſe, ad id eſt mirificum. *Remedia in corpore frigidiore.*

Inter conſtipantia autem, & in vnũ cogentia, roborantia, necnon ſiſtentia, primas tenent ex ſimplicibus quidem, maſtiche, roſa, ſemen roſarum, xylaloe cruda, balauſtium, acacia, ſuccus barbæ hircinæ, galla, gummi, lutũ *Simplicia in hypercatharſi vſurpanda, in corpore frigidiore.*

Lemnium, ſpodium acini granatorum rhus, ammi, ſemen portulacæ & arnogloſſæ, fructus tamaricis, folia coriandri, grana myrti, cyminum vel aniſum aceto infuſum & torrefactum, cortex thuris, coagulum leporis, ſanguis draconis, ſemen naſturtii aſſatum, gallia, fructus rubi & ſimilia.

Cōpoſita ad hypercatharſin corporis frigidioris

Ex compoſitis vero in idem ſymptoma ſumenda ſunt, ſaccharum roſatum, cum maſtiche & Gallia, & ex cydoniis malis compoſitiones, aliaque id genus. Præcipue autē valet electuarium Diacyminum, quod alui fluorem ex medicamento purgante, in corpore frigido, cohibet. Eſt autem eiuſmodi. ℞ Ligni aloes, ſpicæ nardi, galliæ moſchatæ cyperi, calami aromatici an. ℥ij. Cymini carmani, aceto horas 24. macerati & torrefacti ℥iij. ſem. porri torrefacti ℥j ß. myrobal. emb. ſucco cydonii maceratarum & toſtarum ℥ij ß. ſem. naſturtii toſti ℥vj. Sem. vuarum paſſarū ℥v. Baccarum myrti tenuiſſime tritarū drach. xvj. Balauſtii, cocharum vſtarum, thuris, fructus tamaricis, an. ℥ij ß, ammeos

Elect. diacyminum Meſues

ʒiij. Tere omnia tenuiſſime, & iterum vino odoro frangãtur, & ſiccentur, deinde frangantur aqua cydoneorum, aut aqua baccarum myrti & hypociſtidos, & ſiccentur. Vbi erunt probe perſiccata in vaſe vitrato, iterum tere, & miua excipe. Dantur ʒij. cum ſyrupo cydoneorum, aut myrtino. *Doſis.*

In eundem fluxum, præſertim diuturnum, efficaciſſimi ſunt hi ſequentes Trochiſci. *Trochiſci ad fluxũ Meſues*

℞ Balauſtiorum, corticum glandium aceto maceratorum & toſtorũ, rhois, baccarum myrti, hypociſtidis, an. ʒij. Cymini carmani, Gallarum aceto maceratarum & toſtarum, capitum granatorum, fructus tamaricis, macis, xylaloes, Galliæ aromaticæ, maſtiches, ſpicæ an. ʒj ß. oxalidis, gummi, boli armeniæ, ſeminum vuæ, paſſerum toſtorum an ʒj ß. ſem. coriãdri aceto macerati & toſti, ʒij. cum vino pontico: fiant trochiſci põdere ʒj. quorum vnus detur cum ſyrupo cydoneorum, vel aliquo, ſucco ſtyptico. Atque hæc proſunt in frigidiore, vt diximus corpore.

Remedia in corpore calidiore. Sin in corpore calidiore ob dictam cauſſam immodica cõtingat purgatio tum ſequens ſumetur electuarium. ℞ *Elect.* Baccarum myrti ℥xij. roſarum, ſpodii, rhois, ſantali albi, lutei, rubri balauſtii, gummi an. ʒß. granorum mali punici acidi aſſatorum ʒvij. coriandri aceto macerati & aſſati ʒiiij. Sem. roſarum, oxalidis, plãtaginis, an. ℈j. Omnia hæc probe trita frange ſolo omphacio, vel ſucco myrti, & aceto ſimul, & ſiccata excipe miua facta ex ſucco cydoniorũ *Doſis.* & aceto. Dantur ʒiij, cum ſyrupo cydoniorum acidorum.

Trochiſci Trochiſci ad eundem affectum, etiamſi inteſtinorum exulceratio adſit, mire valentes ſunt hi. ℞ Spodii ʒvij ſem. roſ. & roſarum ipſarum acaciæ, balauſtii, ſang. draconis an. ʒij ß. ſem. oxalidis ℈j ß. oxyacãthæ pulpæ rhois, ſem. plantaginis & portulacæ aſſati, an. ℈j & ℈ß. gummi aſſati ℈j. fiant trochiſci põdere ʒß. Dantur cum decocto hordei excorticati.

Epithema adide Ad eandem hypercatharſin, cum ventriculi, epatis, & aliorum viſcerum imbe-

imbecillitate,epithema ſequẽs eſt præſtantiſſimum. ℞ Acaciæ,hypociſtidis,rhois,Gallæ,ladani, calami aromatici, roſarum & ſeminis ipſarũ, ſantali albi & rubei, galliæ moſchatæ, ramic, (hoc eſt,cõpoſitionis ex gallia moſchata,& paſſis vũis)maſtiches, xylaloes,ſpicæ,thuris,coſti,myrrhæ, cyperi, abſinthii,an.ʒij.terãtur omnia probe. Hinc ℞ tortellorum de ſeni ʒiij. (Eſt autem panis idoneo liquore aliquo vt aqua roſarum, merſus & aliquoties aſſatus, qualis biſcoctus)dactylos ſiccos numero duodecim, gummi aſſati ʒv. miuæ glutinoſæ ℥iij. macera horas xxiiij.aquæ roſatæ, vini auſteri, ſucci roſarum, ſucci foliorũ myrti,& foliorũ rhãni,an. ℥jß.calfacta poſt coq; igne lẽto ad mellis ſpiſſitudinẽ: tũc intectis pulueribus tere in mortario, donec glutinoſum euadat, extende in linteo, aut aluta, & ſuffias xylaloe, & ventri toti imponito.

Clyſter etiam ſi res ita poſtulet, talis ſumi poterit: & eſt præſtantiſſimus. ℞ butyri ʒxxx. ſanguinis draconis ʒiij aut plures paucioreſue.

Cura ſecunda cauſſæ hypercatharſeos, hoc eſt, immodicæ purgationis.

Cap. VI.

Medicamentum frangitur & ex corpore expellitur tripliciter.

SI purgatio immodica ob ſecũdam dictam cauſſam fuerit, hoc eſt, ratione medicamenti, tunc ipſius medicamenti vis eſt frangenda, & cito ipſum ex corpore eſt expellendum: Fit autem hoc tribus modis: vel per lauantia: vel per tergentia: vel per reprimentia.

Lauãtia

Lauãtia ſunt, aqua calida, aqua hordei, muccago ſeminum pſyllii, & ſem. cydoniorum.

Tergẽtia

Tergẽtia ſunt, Saccharum rubrum, mel, decoctum vuarum paſſarum, hydromel, & ſimilia.

Comprimentia

Comprimentia ſunt, cydonia, poma ſylueſtria, pyra, maſtiche, myrobalani, idque genus reliqua. Atque his etiam vtimur cum medicamentum aliquod expulſu difficile eſt deturbandum.

Primum autem ſunt exhibenda lauantia & tergentia, horis poſtea duabus aliquid de comprimentibus porrigi poterit.

Cura tertiæ cauſſæ purgationis immodicæ.

CAP. VII.

SI ob tertiam cauſſam purgatio immodica contigerit, hoc eſt propter accidentia externa, quæ tam ægro, quã medicamẽto ſuperueniũt, qualia ſunt, Auſtralis vel aquilonia conſtitutio, vel incõueniens rerũ velut cibi, potus &c. adminiſtratio, tum eadem fere curandi ratione qua in prædictis vtimur, expellendo ſcilicet quod reliquum eſt medicamẽti in corpore, & fluxum deinde conſtringendo. Quæ ergo in prima & ſecunda cauſſa de reſtringendo fluxu dicta ſunt, eadem huc referri debent.

De Narcoticis in immodica purgatione adhibendis.

CAP. VIII.

NArcotica medicamenta ſunt quibus vtimur, cum eſt ſtupefaciendum, ſomnus inducendus, & materiæ incraſſandæ. His autem tum vtimur quando prædicta omnia nihil contulerint, cumque curatio prope eſt deplo- *Narcotĩcorum vſus.*

rata. Sunt itaq; vltimum hæc perfugium. Quantum enim fieri poteſt ab his eſt abſtinendum: in potu autem minime danda: Sin neceſſitas iis in potu vti compellat, caute prorſus ſunt exhibẽda & ſumma cum præmeditatione. Potius autem ſunt cum emplaſtris illinenda, aut balanis ſeu clyſteribus iniicienda.

Narcoticorũ triplex correctio Corriguntur autem tripliciter: Primo admixtis iis, quæ congelationem eorũ reſoluunt & auferunt: qualia ſunt
I Caſtorium, piper, crocus. Secundò ad-
II. miſcendis iis, quæ facultates corpus noſtrum diſpẽſantes gubernant, & ſpiritus inſtaurant: cuiuſmodi ſunt, ſpica, doronicum, zedoaria, & alia tũ cardiaca tum ſtomachica, vitæ ſeu dictis fa-
III. cultatibus commodantia. Tertio miſcẽdis iis, quæ materias de parte in partem fluentes agitataſque ſiſtunt & cohibẽt: cuius generis ſunt, myrrha, thus, gũmi iuniperi, & ſimilia. His narcoticorum malignitas reprimitur.

Dantur autẽ tẽpeſtiue veſpere dormituris, quia ſomnũ conciliant agitationes

tiones ſedantem. Nonnulli etiam dant mane, præſertim quando ægrum inſomnia non torquent, tuncq; minus crebram deſurgendi neceſſitatem, morſum excrementorum obtundendo faciunt. Fugiẽdus vero vſus eorum mox a cibo, & in plenis corporibus aut impuris: purgatis autẽ eſt tutior. Præterea caue bis ea dare diebus multis continue, ſed tempus interpones, quo dabis roborantia, quæ vitæ theſaurum cõſeruẽt. Officiũt ad hæc narcotica oculis & aliis ſenſoriis, niſi tam paruam eorum des quantitatem, quæ viribus noſtris non officiat. Pauco enim & ſæpe, quam multo ſemel vti præſtat. *Quibus non exhibenda*

Suntautem ſtupefacientia & ſomnũ ꝓuocantia, alia, quæ intrinſecus ſumũtur, alia quæ extrinſecus admouentur.

Narcotica extrinſecus admouẽda.
- *Oleum violaceum*
- *oleum mandragoræ*
- *vnguentum populeonis.*
- *decoctum corticis mandræ.*
- *ſemen hyoſcyami.*
- *lac mulibere.*
- *ſemen papaueris.*
- *decoctum ſalicis*
- *opium*
- *anethum viride in oleo coctum.*

Atque his primum vti cõſultius eſt, temporibus ſcilicet illinendo. Cauendum autem ne vnquam membris principalibus, vt cerebro, iecori, cordi applicentur: nec etiam pueris, ſenioribus grauidis, aliiſque imbecillioribus.

- *Narcotica intrinſecus ſumenda,*
  - *Mitiora*
    - *Syrup. violaceus.*
    - *Syrup. de papauere*
    - *Succi*
      - *Lactuca*
      - *Semperuini*
      - *Solatri,*
      - *Portulaca*
      - *Cicuta.*
    - *Conſerua violarum*
    - *Conſerua nyn.phaa.*
  - *Valentiora*
    - *Philonis antidotum*
    - *athanaſia.*
    - *dialibanum*
    - *diacodion.*
    - *micleta*
    - *Doſis eſt a ℈ii ad ʒi.*

Valentioribus autem non niſi ſumma neceſſitate eſt vtendum, neque cõtinuis diebus, ſed ex interuallis talia ſunt danda.

Sequuntur narcotica aliquot, quorum tutior vſus eſſe poterit.

Narcoticon Iſraelitæ, adſtringens, ſalubre ad fluorem alui a medicamen-

to vel alia cauſſa excitatum.

℞ Thuris ʒj.
Coaguli leporis ʒij.
Opii ʒj. Gallarum ʒiij. fiant trochiſci pondere ʒj. Detur vnus potui.

Catapotia narcotica filii zezar, ad alui fluorem, & fluxiones ad viſcera vel a viſceribus.

℞ Bdellii, gummi iuniperi,
opii, thuris minuti,
myrrhæ, croci, an. partes æquales. fac catapotia ciceris magnitudine, de quibus da veſperi a tribus ad quinq;.

Trochiſci narcotici Meſues ad immodicum alui fluorem, a medicamento purgante vel alia cauſſa excitatum, & ad choleram morbum: ſtringentes etiã vomitum a cauſſa præſertim frigida, & facultates corpus gubernantes, roborantes, & conciliantes ſomnum.

℞ Cyperi, thuris minuti,
ameos, Gallæ croci, galliæ Moſchatæ, garyophyllorum, balauſtii, chamæpityos, malicorii, myrrhæ, ſpicæ, an. ʒij.
Hyoſcyami, opii. an. ʒjß. fac tro-

chiſcos aurei vnius, de quibus detur vnus.

Trochiſci alii Narcotici Meſues, ad ſtupefaciendum & omnem alui fluorem, & vomitum a cauſſa calida.

℞ Spodii, ſem. roſæ,
acaciæ, hypociſtidis, balauſtii,
ſang. draconis, gallæ, croci.
an. ʒij. Boli ʒj ß.
opii, hyoſcyami an. ʒj.
fac trochiſcos pondere ʒj. Detur vnus cum aqua roſarum.

Hæc de vſu narcoticorum in immodicis purgationibus.

De medicinis confortatiuis.

CAP. IX.

REſtat vltima pars in purgationibus conſiderari ſolita, videlicet medicinarũ confortantium exhibitio. Præparato enim & deinde euacuato humore, plerunq; ob exſolutionem, quæ per medicamentum purgans accidit, debilitas partium corporis ſubſequitur, quare ſolemus confortantem aliquam medicinam, poſt purgationem ægris exhibere. Nõ ſolum autem poſt purgan-

purgationes tales confortantes medicinæ exhibentur, ſed per vniuerſum morbi tempus locum habent. Sunt autem huius generis ſpecies aromaticæ, item conſeruæ ſeu condita, trochiſci & eclegmata, velut hæc quæ ſequuntur.

Hic inſeri debent ſimplicia quæ vnamquamlibet partem roborant.

Species aromaticæ, ſiue confectiones vnamquamq; partem roborantes

Confortātia	*Caput*	*Frigida*	*Dia rhodon abb.*	*Ad cerebri paſſiones calidas.*
			Dia corallii.	
			Manus Chriſti.	
		Calida	*Diambra*	*Apoplexia, epilepſia, & affectibus melancholicis medentur*
			Mithridatum	
			Diamarg. cal.	
			elect. pliris ſarcot.	
	Thocem	*Frigida*	*Tragacāthū frig.*	*Deſtillationibus ad pectoralia calidis exhibentur.*
			Diapapauer.	
			Diapenidion	
		Calida	*Tragacāthū cal.*	*Ad thoracis & pulmonis vitia, vt ſputa lēta & craſſa in pectoralibus contenta.*
			Diacalamenthū	
			Diapraſſium	
			Diairis Salomo·	

- *Confortant*
  - *Ventriculũ*
    - *Calida*: *Roſata nouella, arom.roſ Gab., arom.caryophyl., diatrion piper, Diagalanga., dianiſum, diaciminum., diacinnamomum., diaZingiber., confect. de xylaloe.* — *Ad prauã ventriculi coctionem flatus ad eoque ructus acidos.*
    - *Frigida*: *Triaſandali., diarhod.abb., diacitoniten.* — *Aduerſus ventriculi & iocinoris calores.*
  - *Cor*
    - *Frigida*: *Manus Chriſti., diamarg.frigidum., diacoralli, Triaſandali.* — *Deiectis viribus & febribus ardentibus.*
    - *Calida*: *Diamarg. calidum., cõfect.de muſco dulcis, diambra, diacameron., el.lat.Gal., roſata nouella, Mithridatum, Theriaca* — *Aduerſus cordis palpitationem*
  - *Epar*
    - *Frigida*: *Diarrhodon abb., Diatria ſandali.* — *Aduerſus iocinoris calores.*
    - *Calida*: *Dialacca, Diacurcuma* — *Ad iecoris & lienis obſtructiones & aquam inter cutem.*

Doſis ʒiß *aut* ʒij *Dantur mane & veſpere*

Conſerua ſiue condita. Item trochiſci & eclegmata confortantia.

Confortant	Caput calida		Conſerua anthos Lauendula Acori e betonica e paonia	Ad comitialem morbũ, apoplexiam, & alia capitis & neruorum mala frigida
	Caput frigida		De nenuphare Roſarum Violarum e prunella	Ad vapores in cerebrũ irrepentes reprimendos
	Thoracem		Enula campana Capillorum ven.	Ad viſcida & lenta ſputa e pectoralib. educẽda
	Cor		Borraginis Bugloſſa Acetoſa	Palpitationi, melãcholicis, & triſtibus auxiliantur
	Ventriculum	Calida	Abſinthii zingib. cõditũ acorus cõditus Saluia citria cõdita	Ventriculũ firmant, coctionem iuuant, oriſque ſuauitatem efficiunt.
		Frigida	Roſarum Cichorii acetoſa codonea condita de nenuphare	Acrimoniã bilis obtundũt, vehemẽtioribus febribus ſubueniunt, doloribus quos bilis creat: & capitis dolores ſedat.

In his ſumendis nullus eſt modus.

TAntum de purgationibus, iiſque, quæ circa eas veniunt conſiderанda. De accidentibus ſeu morbis, qui illegitimam & immodicam purgationẽ conſequuntur, curandis agit Meſues tractatu quarto lib. I. canonum medicinalium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Theriaca [illegible]

[illegible] Andronici [illegible]

[illegible]

Boli Armeni [illegible]

Terrae sigillatae [illegible]

Lapid: Bezoardici [illegible]

[illegible]

ffen dort. Drostensalbe zu der Rosen
alten schaden und
lüsten drengsteg
Nymmett stiffe, pfeffer.
wein olei, vermisschett es
und rörett es ein halbe
stundt, ... es als ein
gele salben werden

Felices quibus obtigit
Euriped: Sors, nec summa, nec infima.
Sed sane mediocris gloriae
Castor annuit annua
Nancisci thalamo Uxoris
Nota de Ostiatollo —— 180
Vinum Hippocraticum —— 142
Nota pilulis Aggregativis fol. 176
addidi ... Gutta Gamba, idque pro
Georgio a Bonn.
Narcotica —— 160

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Diam: Dyß nachfolgende pulver ist
lum über die maß gudt und krefftigh
aller windiger pläst zu zertheilen
unnd vertreibenn.

Nim anißsamen drey lodt,

Kreingestabin süßholtz
klares mastix } Jedes 1 lodt

Weisenkümmel,
Muscatblumm
Galgantwurtzell
weißet Ingbers
Fenchellsamen
Scharpffes außerlesenes zimmets } Jedes ein halb lodt.

Dreyerley pfeffer schwartz
weiß, unnd langenn pfeffer. } Jedes ein quintlin

Acker oder feltmüntz
Bertramwurtzell,
Zimmet rot
Cardamomlin
Negelin
Cubeblin,
Wolb saffrans
Der krauter Spicanardi } Jedes anderthalb lot

misce fiat pulvis.